DE MODO MISCENDI AD COMPOSITIONEM MEDICAMENTA, LIBER TERTIVS.

* * *

CVM finis omnibus iis, quæ ipsum præcedunt, & ipsius gratia fiunt, sit præstantior, hunc librum tertiũ medicis & pharmacopœis non vtilio rem modò: sed etiam magis quàm prædictos duos necessarium facilè iudicaueris. Cum neque medicamenta huic affectui idonea delegisse magni sit momenti (nisi affectus ipse simplex simplici remedio curabilis est: aut si compositus simplici quidem nobis, sed natura composito) neque hęc præparasse, nisi compositio succedat, quam illa duo spectabant, & in quam deligebantur, & præparabantur medicamenta.

De modo igitur seu industria, & arte medicamenta componendi, & miscendi sumus dicturi: non tamen omnia, sed ea præcipuè quæ Parisiis, aut vsu, aut paratu

ratu sunt frequentiora. Quæ verò vrbes aliæ alia in vsu composita habent medicamenta, ex horum imitatione paruo negotio substituent. Porrò in his omnibus Mesuæ ordinem sumus sequuturi, vt scilicet doceamus primum, quo modo condita sint componenda, deinde sapæ, iulepi, syrupi: tertio loco eclegmata: quarto decocta, & infusa si qua hodie vsurpantur: quinto antidota, sexto pilulę: septimo trochisci, octauo pulueres: nono olea: decimo vnguenta, vndecimo cerata, duodecimo emplastra. His tamen passim, sed locis suis ex Nicolao, & aliis similia, sed vsitatiora nobis, ascribemus. Quæ verò vrbes aliæ vsurpant, si libet ascribãt, vt Lugdunenses conseruam mẽthæ, athanasiæ vulgaris, euphragiæ, scolopẽdrij, oxalidis, Ireos, stœchados, hyssopi, saluiæ, saluiæ vitæ, myrobalanorum, limonum, primulę veris, sigilli beatæ Mariæ, summitatum arantij, cucurbitæ, cucurbitam conditam, syrupum lupulorum calaminthes, violatũ decoctione cucurbitæ, electarium de bolo contra pestẽ, E. Indum maius. E. rosatum Mesuæ, loco E. de succo rosarum. E. leniriuum quoddam E. de psyllio. E. lætitiæ Gale. E. lætificans Conciliatoris, Auream alexãdrinam, cõfectio

fectionem anacardinam, hieram Ruffini, Logadij, Hermetis apud Mesuen, Micletam, requiem magnam Nicolai, rubiam trochiscatam eiusdem, trypheram persicā in febribus continuis vsurpatissimam, & sarracenicam, philonium Persicum, & Romanū, & alia permulta vrbibus aliis consueta ascribant alij si volent.

DE CONDITIS

Sectio prima.

ERYNGII *radix condienda, sit ampla, alba, tenera, intus ligno & foris cortice purgata, deinde secta in frusta pollicē æquantia, intus, vnde lignum expurgasti, fartavno caryophyllo humectato, & particula Zingiberis humectata. Hæc sic præparata coquitur in saccharo æquali & melle duplo, vel melle solo triplo. Coctis additur iustum pondus aromatum.*

Quoniam radices hę quantumuis tenerę etiam subdurę apparēt, & coctione in saccharo & melle durescunt, non tenerescūt, satius fuerit purgatas, & sectas, aqua eas tegente super cineres calidos nocte macerare, postridie semel feruefacere, & ex aqua illa, si pura apparet, sin minus, alia dulci saccharum ad electarij solidi, aut penidiorum consistentiā coquere, illi tum

tum radices has sic emollitas parumper incoquere, caryophyllorū vel cinnamomi, & zingiberis succorum mediocriter pulueratorum ana vnc. dimidiam in cōditi libr.duas,vel miscere,vel nodulo suspendere sine aliis aromatibus. Similiter condies radices sisari,cari,dauci,pastinacæ,apij,raphani,& similium prius scilicet lotas, & intus ac foris purgatas elignando,deradendo,decorticando,sectas,fartas, melli, aut saccharo incoctas. Acorus autem nostrâs non est condiendus, nisi medicus aliquis doctus iusserit,vt in Mesue docui.Alij bene purgatas radices, in melle despumato, & saccharo clarificato mediocriter coctis,igni lento percoquūt, ex aqua tamen non præcoquentes, ne aromaticam vim auferant:radicem tamē helenij præcoque, vt amaritudinem deponat:ari,dracontij allij,cæpę,porri,& similium,vt acrimoniam:deinde vt prædictas cum melle, & saccharo percoque.

Diasatyrion alterum accipit libram vnam radicum eryngij coctarum in aqua cicerum secunda,radicum satyrij plenarum & recentium vnc.octo, radicum raphani domestici vnc.tres, radicum dracontij vnc.duas, quæ omnes simul tritæ,in lactis vaccini quantitate sufficienti, &

butyri

butyri vaccini, olei sesamini ana vnc. quatuor, igni lento coquantur ad iustam crassitiem, tunc adde mellis despumati libras *sex, succi cæpæ recentis libram vnam & dimidiam. vbi omnia erunt perfectè cocta, & ab igni deposita, adde hunc puluerem, scinci caudarum & lumborum drachmas octo, seminis erucæ, nasturtij, pastinacæ, napi, asparagi, fraxini, piperis longi, been vtriusq;, zingiberis, cinnamomi ana drac. quatuor, prædictis misce. Postremò adde strobilorum depellatorum libram vnam & dimidiam, pistaciorum depellatorum vncias decem, cerebrorum passeris vncias duas, misce omnia probè. aromatizæ drach. vna (aquæ rosarum semiuncia soluta & cum aliis mista) moschi boni.

*Tres tantũ hodie.

Radices raphani cum etiam duriores sint radicibus eryngij, cum his præcoquẽ dę videntur. radicis dracontij acrimonia, lacte, butyro, oleo obtunditur. Potes coquere ex lacte ouillo, muliebri, caprino, & etiá asinino pro variis medici scopis, quibus etiam calidiora interdum auferre cogimur. Pro oleo sesamino iam desito sumitur oleum amygdalarum dulcium: quale postea describam, vt in diasatyrio analeptico. Iusta crassities est cataplasmatis, opiatæ, cassiæ purgatæ, sordium auris, mellis vetusti, aut probè despumati, quod

signum quoque est perfectę coctionis, cuius pòst meminit. Nam mel despumatū, & succus cæpæ prædictam crassitiem eliquabunt, & velut incrudabunt: absumpta deinde per coctionem reliqua mellis humiditate, & ea quæ largior est in succo cæpæ recuperatur prior cōsistentia, túncque perfecta est coctio. Cicera eadem ratione infundit vel incoquit lacte, in puluere impinguante sectione octaua. Sunt quæ in rem præsentem quo voles tēpore (nam semper vna radix vegeta est, licet magis & minus) lotam radicem ex secūdo cicerum decocto coquunt, deinde caryophyllis & cinnamomi frustillis configunt, & cum saccharo clarificato, & colato parum diu percoquunt, dántque dormituris radicem vnam, aut duas, nec infœliciter.

Aquā cicerum secundam cur capiamus in Mesue dictum. Radices plenas capit ex agro præsertim sabuloso, quia flaccidæ sunt exanimatæ. & vide ne varietas satyriorum tibi imponat, lactis quātitas sufficiens, vt digitis duobus supernatet, quo absumpto, si nondum hæ sunt percoctæ nouum lac, butyrum, oleum affunde. Pro cępa bulbum ascalonitem nobis dictum, cur ponendum putem in Mesue docui.

Been, zingiber primò terantur, semitritis adde semina, deinde cinnamomum, postremò scinci sicci puluerem.

STROBILOS aqua tepida per semihoram prius macerari volunt ad acrimoniam tollendam, quę cum tam exigua sit, in aliis magna, frustra id causantur.

CEREBELLA passerum præparata, vt libro secundo docuimus, in pluribus prę-parationum modis.

Saccharum rosatum sic fit: Folia rosarum rubrarum nondum omnino apertarum in vmbra siccantur, donec ipsorum humiditas superflua resoluatur: teruntur tunc in mortario lapideo, additur sacchari albi triplum reponuntur vase vitreo aut vitrato pergamena operculato, mẽsibus tribus insolantur, in dies sæpe mouentur, soli auferuntur, seruantur.* Mes. conserua rosarũ. *Duplũ plerique.

Sit saccharum, & mel triplum, vt florũ, parum siccatorum vnciis duabus, mellis despumati, aut sacchari puri, puluerati, vncias sex miscent.

Saccharum autem rosatũ aliud hodie nobis appellatur, quod aqua rosarum albarum, aut succo rubrarum pari solutum ad electarij solidi crassitiem coquitur, & pulueratur, vel in marmor butyro superlitum iniicitur, ibiq; latescit, dum coaluit,

in tessellas secatur. Saccharum rosatũ tabulatum vulgo dicitur.

Saccharum violatum fit, vt rosatum, nisi quòd violæ paulo diutius, & in vmbra siccandæ, & cum saccharo insolandæ: sic fit saccharũ bugiossatum & rosmarinatum.

Rosmarinatum malè anthosatum vocant, cum anthos florem omnem significet non speciatim florem roriſmarini. Sic etiam conseruæ, vt vocant, fiant ex floribus Persicorum, arantiorũ, geniſtæ, ſparti, maluæ, althææ, & similium florum.

Sunt tamen qui flores integros, & saccharo puluerem vicissim vasi inspergunt, & insolant, aiúntq; sic suas qualitates propè integras flores seruare. Alij saccharum clarificatum infundunt.

Similiter quoque fiunt herbarum quarundam natura exuccarum conseruæ, vt adiantorum omnium, quibus ad analepti cum destillatum vtimur, & cõserua asplenij, saluiæ vitę, phyllitidis, & similiũ. Herbæ enim hę recentes in mortario lapideo teruntur, saccharo duplo miscentur, insolantur.

Mel rosatum sic fit, succi rosarum recentium libra vna cum mellis albissimi & purissimi, & despumati libris decem coquitur igni in lebete.

V bi

Vbi feruere hæc incipient, adde roſarum viridiũ forficibus, vel cultello inciſarum libras quatuor, coque ad ſucci conſumptionem, continenter mouendo in fictile aliquod tranſuaſa, & diu eodẽ contine. nam tempore præſtantius euadit. Eodem modo fit mel violatum.

Mel cum libris aquæ tribus mediocriter deſpumetur: vbi deinde feruebit, ſuper ignem aut extra miſce roſas & ſuccũ, & inſola dies quadraginta aut circiter: coque ad ſucci conſumptionem, cola, percoque in ſyrupum.

Sunt qui mel clarificant cum mel roſatum ore excipiendum eſt, illud enim clyſteribus magis idoneum eſt.

Mel myrtinum fit ex ſucci myrtorum libr. 1. mellis libr. 2. igne lento ſimul percoctis.

Mel vuatum paſſulatum vulgo, fit ex vuis paſſis intus purgatis aqua calida 24. horas maceratis, probè coctis, valenter expreſſis, expreſſo tandem ad mellis craſſitiem percocto.

Mel emblicarum, ſcilicet myrobalanorum eſt quo ipſæ ſunt conditæ & ſeruatę.

His mellis differentiis vtimur in aliis compoſitionibus.

Anacardi triti diebus 7. aceto ſufficienti macerantur, octauo coquuntur ad di-

dimidias, colantur linteolo. Succus is cũ melle sufficienti coctus ad spissitudinem mel est anacardinum. Fæx verò siccata anacardi sunt præparati. Nicolaus Alexandrinus in Theodoreto ex melle anacardino, alij melleum id quod aquæ innatat, cui incoquuntur anacardi.

Fructus aut saccharo, aut melle, aut vtroque condiuntur, interdum integri & cum seminibus, sed ferè imperfecti, interdum seminibus purgati.

Fructus nostrates condiuntur póma, pyra moschatella, cydonia, persica pręcocia, armeniaca, pruna, præsertim dactylina, nuces virides, cerasa, corna, baccæ ribes, & oxyacanthę, omphaces: omnes integri pręterquam magni, vt cydonia, persica. hi enim foris & intus purgati, & in partes quatuor secti cõdiuntur. Nuces verò depellatæ diebus nouem aqua pura in dies ter, quater mutata, macerẽtur. Postea coquũtur aqua, donec tenereſcãt, siccãtur vẽto aut linteis, caryophyllis & cinamomi portiũculis configũtur. Deinde vt reliqui fructus cõdiuntur. Alij melius nuces immaturas ter fuso (nã ferramentũ acutũ nigrauerit magis) configuntur, aqua sępe mutata macerantur, coquuntur. vbi teneræ euaserunt, mox in quam frigidam, puram

rum coniiciuntur: exemptæ depellantur, linteo siccantur, caryophyllis, cinnamomo configuntur: saccharo clarificato & percocto teguntur, quod secundo aut tertio quoq; die, quia recruduit, parũ est recoquendũ, nucibus tamen interea exemptis. Sic enim virides, & puræ magis permanẽt. Cydonia quoq; purgata ex aqua coquuntur, donec tenere scãt. postea condiuntur. Modus autẽ condiendi omnibus est vnus, saccharo enim ad syrupi cõsistẽtiam cocto immissi incoquũtur, donec syrupi consistentiã saccharum recuperarit, quã amisit fructuũ humore solutũ. Quin & præcocia si præterea saccharum recrudant, id exemptis interea præcocibus recoquendũ, deinde prẽcocibus reddendũ. Si enim cum saccharo recoquerẽtur, durescerent. Aliæ cydoniorũ amborum cõdituræ docentur in Mesue, sect. 1.

Gelatinam cydoniorum sunt qui ex succo cydoniorum coquunt, alij ex cydoniati parte liquidiore, affuso vtrobique pauco succo ribes, aut oxyacanthę, ad ruboris gratiam.

CONDITVRA SEMINVM, *& aliorum quorundam.*

COriandrum in tabula polita decliui, crebro succussu purgatur. Rotun-

dius enim ac integrũ delabitur. Quæ verò sunt quassa grana, & cum his alienæ quædam materiæ in via ferè hærent, vel in ipsis ceu carceribus pigra cessant. Aceto id mersum horis circiter octo sine igni maceratur, igni frigitur ac siccatur, eius libra vna saccharo sic tegitur ac incrustatur. Aquæ in lebetem stannatum impositæ libris nouem albumina ouorum tria iniiciuntur, scopularum agitatu multo in spumam tolluntur, mox sacchari, si impurum est (purum enim parcius satis est, parciorémq; aquam requirit) libræ nouem miscentur igni, omnia simul feruendo parum diu, & rudicula cõfunduntur, donec spuma nigrescat, quod aquæ sexta parte cõsumpta ferè accidit, per pannũ laneum colatur. Eius propè dimidium in syrupi ferè consistentiam recoquitur. Interea semidolio focum alterum habenti superpositum in magna pelui ærea coriandrũ manibus ad siccandum ducitur. Dum siccum est, sacchari eius vncia circiter vna cochleari affunditur, multum diúq; manibus in ea confricatur, id velut tectorium dum apparet siccatum, iniecto nouo saccharo, iterum vt prius confricatur, ídque opus repetitur, donec totum illud saccharum induerint grana coriandri. Tunc reliquum

liquum sacchari dimidium in syrupi crassitudinem percoctum, similiter affunditur & confricatur.

Perlatum verò fit(sic enim vocãt,quãdo eius corpori saccharum accrescit in formam paruorum vnionum, quos vulgus perlas appellat)si vbi iustam incrustationem, sed læuem & politã est assequutum, è vase sublimi inferno foramine saccharum sic percoctum paulatim tãquam filo perpetuo in peluim coriandrum sic tectum habentem continenter defluat. Peluim verò continenter in omnem partem dimoueas, vel ansis apprehensam,& super corpus rotundum lineo circulo interposito facilè mobilem,vel facilius multò mobilem,si ansis funes sic ex solarii tigillo aliquo innexi,vt vterq; alternis nũc tollatur,nunc deprimatur.Sic cortex cinnamomi, & aranciorum conditur, si negligentia frictionis, aut imperitia saccharum fundo peluis hæserit,semina exime, & vasi aquam infunde, igni trade, donec saccharum remollescat,& rudicula ferrea deradenti cedat. Vbi tersum erit fundum vasis, aquam illam saccharatam effunde in vsus aliquos seruituram, vas linteo mundo,& igni sicca,semina tunc illi redde,& opus perfice.

Quanto autem est semen minutius, tanto ægrius saccharo integitur, & maiore iniuria manuum nullius propè interuentu calidario occurrētium: sed vbi iam auctius tectoriis aliquot est redditū, tum tutius & facilius manibus confricantibus perficitur. Talia sunt semen anisi, fœniculi, apij, cari, seriphij, quod contra vermes vocant, papaueris albi in cerniculo rariore, aut densiore pro seminis quantitate, purgatum accuratius confricādum: Strobili, pistacia, auellanæ, amygdalæ dulces, & si vis amaræ, similiter siccatæ eodem modo, sed citius incrustantur. Caryophyllorum surculi, cinnamomum, cortex arācij, limonis, cucurbitæ.

Tragema, moschatū, ex puluere ireos, saccharo aqua rosarum, & pauco moscho sic fit. Puluis ireos velut compositi basis, in peluim missa affuso pauco saccharo tribulatur: vbi in granula minima partim concreuit, partim in maiora cribro exiguo cernitur, quod transit deligitur, iterū si opus est tegitur, donec seminis papaueris (quod etiam nonnulli loco pulueris ireos supponunt ad operis celeritatem) rotunditatem & magnitudinem sit assequutum. Tunc moschus aqua rosarum pauca, vt drachma vna vncia semisse solutus,

lutus, pauco saccharo miscetur quo postremum fit tectorium: sunt qui aceruo huius condituræ moschi pyxidem biduo aut triduo tantum obruant, vt moschi odorem trahat, substantiam non dissipet manifestè.

SECTIO SECVNDA DE *sapis & syrupis.*

SApa est succus à nobis tantùm purgatus, & crassatus solis aut ignis calore. Mes.

Sapa nobis sola paratur ex acinis vuæ albæ maturis, in lebete sine vllo liquore coctis, per mantile colatis & expressis. Id autem expressum percoquitur ad mellis consistentiam. Sunt qui vt fœlicius seruetur, saccharo pari condiunt: sunt qui ex vuis etiam nigris sapam coquunt.

Iulepus rosatus fit ex aqua rosarũ cum pari saccharo cocta propè ad syrupi consistentiam: aut multò minus si mox vtendus est, nec aër ita calet.

Iulepus violatus fit ex aqua florum, & foliorum violæ nigræ, & pari saccharo similiter coctis, supra apozematum consistentiam infra syrupi formam. Quanto enim perfectius coquitur, tanto diutius seruatur: sed est ingratius. Parãtur in rem præsentem, aut si non licet, eorum loco syrupi vsurpantur. Quia verò violas non

distill

destillamus ex siccatũ infuso coquimus Alij magma violarum ad syrup. violatum ex multis infusionibus faciendum infusarum parum expressum destillant, hácq; aqua iniquè vtuntur ad iulepi violati cõpositionem.

Materia syruporum omnis est à plantis, radices apij, petroselini, fœniculi, aspa ragi, ruscí, cichorij, intybi, ireos, pyrethri, spinæ albæ, & Arabicę, glycyrrhiza, polypodium, agaricus, rha barbarum, elleborus niger, asarum, galanga, zingiber.

Herbæ, buglossus vtraque, hyssopus, mentha, calaminthe, eupatorium, absinthium, adiantum album, origanum, thymum, epithymum, cassutha, oxalis, fumaria, chamædrys, chamæpitys, folium. Harum item multarum succus, præsertim buglossi, menthæ, eupatorij, oxalidis, fumariæ, intybi, portulacæ.

Fructus poma, pyra, cydonia, cucurbita, granata, citrea, pruna, dactyli, thamar Indi, myrobalani, myxa, zizypha, ficus, vuæ passæ mundatæ, capita papaueris albi, nigri, rubri, folliculi sennæ. Horum multorum succus tantum, præsertim pomorum, pyrorum, cydoniorum, cucurbitæ, granatorum, citreorum, & horum cortex, vuarum acerbarum & maturarum, vinum

num album bonum, antiquum, odorum, acetum, sapa. Ad hæc myrtarum, prunorum, persicorum, ribes, oxyacanthæ, cannarum sacchari, saccharum, penidia: & his affinia, manna, mel crudum, & coquendo despumatum.

Semina, cydoniorum, melonum, papaueris albi, nigri, rubri, lactucæ, portulacę, apij, petroselini, intybi, fœniculi, anisi, ligustici, dauci, cari piper omne, cardamomum, hordeum, maluæ, lini, fœnigræci.

Flores, crocus, rosa, viola, stœchas, schœnuanthos, epithymum, cassutha, spica nardi, caryophyllum, gummi Arabicum, tragacantha, mastiche, & liquor scammonium. Et prętер hæc aqua ferè fontana pura illimis, ac omnis alienæ qualitatis expers, interdum pluuia quæ additur, vt in eam vires medicamentorum simplicium macerãdo, & coquendo trahãtur: deinde saccharo tradantur, vt etiam medicamentum diu coqui possit, & qualitates alienas exuat, nouas acquirat: vt etiã promptius syrupi despumentur, clarificentur, colentur, & in corpus distribuãtur: & sint accipiẽti gratiores. Aquæ vires sæpe succi sustinent, sed hi sunt, vt dicam, clarificandi.

Succi, herbarum, & fructuum ad syrupos bis coquuntur, primò ad dimidias, vt

syrup.

syrup.de pomis,& alij propè reliqui:interdum ad partis tertiæ consumptionem, vt syrup.acidus ex succo citri,& alter ex succis fructuum:interdũ ad libræ vnius consumptionẽ semel feruefiunt,vt in syrupo bizantino:deinde colantur, postea quiescendo residere sinuntur, alij biduo, alij triduo, alij minus aut magis diu, donec scilicet quod in eo crassum & fœculentũ est,subsederit, & reliquum tenuetur, clarúmq; ac purũ euadat: id quod paulatim vase inclinato colatur,iterum & cum saccharo ad syrupi consistentiam coquitur.

Subsidet verò aliis citius,aliis tardius, aliis largius,aliis parcius,vt vinis quæ genere sunt succorum, & vrinis. Vina enim alba,quia non ferbuerunt, plurimam fæcem reddunt:nigra quia multum feruendo crassum deponunt, minus: in medio sunt media:sic succus pomorũ, cydoniorum,limonum,multa parte subsidẽt: succus granatorum minus, vt illis pars sexta ferè subsideat, his pars octaua, vt ex syr. de succo acido citri apertè deprehendes.

Deinde cum saccharo propè pari percoquuntur in syrupũ, vt succi puri libras quatuor, quinque, sacchari libras tres, quatuor recipiant. vt in syrupo succi pomorum, cucurbitæ succi libræ septem,

sacchari libræ quinque: in syrupo ex succo citri libræ decem humoris libræ octo sacchari in syrup. acido ex pomis. interdum minus sacchari miscet, vt in syrupo Saporis, succorum libræ circiter sex in libris tribus sacchari syrupi corticum citri libræ tres post coctionem relictæ cum sacchari libra vna coquuntur.

Quin syrup. acidus ex cydoniis in succi libris vndecim, habet tantùm sacchari libras duas. Est quando modus sacchari incertus est, vt in syrup. acido ex succis fructuum, succi libras tres coquit cũ Iulepi libris duabus, vel pluribus, vel pauciori-bus. Si mannam paucam acceperit syrupus, nihilominus sacchari postulat, vt syr. acidus ex manna eius vncias tres capit, succorum libras quatuor, sacchari libras tres. succus tamen cannarum sacchari, aut penidia ponuntur loco sacchari in syrup. de cannis sacchari, nisi pro aut, &, legas.

Quin & Iulepus clarus & purgatus sacchari vice præstãtissimus est in syrup. præsertim ex succis frigidis aut aromaticis, vt fit à Mesue in syrup. acido ex succis fructuum, & in syrup. corticũ citri. Saccharum autem optimum ex aqua æquali coquunt, albuminibus purgant, colãt, recoquũt ad penidiorũ, aut sacchari rosati, aut elect

electarij ſicci conſiſtentiã, & ſuccos mox vbi extracti ſunt, ſine vlla coctione, colatione, reſidentia colant, per ſpumam in colo relictam ex ſaccharo iam colato, puriſſimíq; hi transfluunt, & æqua portione baculo multum tribulando electariorum ſiccorum ritu paulatim miſcentur ſaccharo ſic percocto, quem Iulepum vocat Meſues, quomodo & ſyrup. acetoſum ſimplicem Meſuæ, & oxyſaccharum Nicolai, & alios multos ſyrupos ex ſuccis plęriq; hodie componunt, vt vires eorum ſint integriores, nec ita promptè candeſcãt. quod vitium pauco melle miſto quidam effugiunt. Id quod probo maximè, modò nõ caneſcant, & ſitum non ducant ob ſuccorem cruditatem. Quod vitiũ cauetur inſolatu: quæ coctio his potior eſt, quàm quæ ab igne. Hoc autem modo ſyrup. acidus citri, limonũ, acetatus ſimplex albiſſimus fit. granatorum autem ribes oxyacanthæ ſyrup. cùm debeat eſſe ruber, minus diu debet tribulari, ne coloris ſui gratiam amittat. Eſt quãdo ſaccharum ſimul cum penidiis miſcetur, vt in ſyrup. papauerum ad catarrhum ſacchari & penidiorum ana vnciæ quatuor in decocti ſelibra, & in ſyr. papauerũ ad tuſſim, ſacchari & penidiorũ ana vnc. octo, in decocti lib. duabus

duabus, sed in illo saccharũ est parcius, vt in syr. adianti, sacchari clarificati, & aquę adianti ana vnc. 8. cum lib. duab. decocti.

Coquuntur autem in vase terreo plumbato potius quàm æreo stãnato, igni prunarum lẽto, aut flãma exigua, sed sine fumo, vt carbones antè sint omnino accẽsi quàm vas igni tradatur: qui si coctioni non sufficiant, alij ex foco semiusti substituantur, vt diximus in methodo medicamenta componendi lib. 3. ne carbonum nouorum teter vapor coquenda vitiet.

Coquuntur syrupi ad iustam crassitiẽ, seu donec portio eorum refrigerata digitis tractatu hæret, ac fila ducit, & iniecta marmori aut scutellæ stat & durescit non fluitat: seu donec immissi humoris seu decocti, seu succi vnciæ circiter duæ in libris singulis sacchari supersint. Id quod deprehẽdes bullarum modo & numero: nam quoad succi multum supereſt in medio bullam excitat vnam, eámque maximam in ambitu paucas & paruas: dum verò in syrupi consistentiam coctum propè est pro bulla illa maxima, plurimæ vbique mediocres tolluntur. *Nicol. Alex. in syr. ros.*

Qui verò syrupi decocto constant, nõ succis, pro seminũ aut radicum libra vna requirũt aquę libras circiter quatuor, pro

herbarū manipulis quatuor, ſiccarū quidem, aquæ libras duas, viridiū verò libram vnam: aliorum autē ſimplicium, quia pauca ſunt, parua habetur ratio. Meſues tamen, radicum ſimul & ſeminum libram vnam coquit in aquæ libris decem ad dimidias in ſyrupo acetato cum radicibus.

Cum item hordeum, vel aliud diu coquendum eſt, aut per ſe eſt macerādum, aut tanto largior aqua eſt affundenda, quanto coctio longior eſt futura: ſic dum ſicca, rara, lenta, & glutinoſa coquis, aquā auge, vt in ſyrupo hyſſopi, zizyphorum: alioqui colari non poterit, niſi nodulū ex glutinoſis iam colato incoquis, aut muccaginē ex his cum portione decocti extractā coctiori iam ſaccharo miſces. Incocta enim hæc glutinoſa decoctum incolabile reddunt, quia ſubſtantia emplaſtica viam ſibi præcludūt, poris coli obſtructis. Idē vitium eſt ſi penidia miſcētur ex ſaccharo pinguiore, impuriore cum amylo multo tractata. Sunt qui libræ medicamentorum multam coctionē ſuſtinentium tribuant aquæ lib. 6. paucam, ſelibram, mediocrem. ʒ. lib. aquæ.

Simplicia primū deliguntur, & in ſeriniola papyracea, vel ſimilia digerantur. Siqua ſeorſum macerāda ſunt, aut ſimul ante

Dioſ.

ante macerentur:coquenda verò in lebe
tem in quo aqua iam caleat, non tamen
ferueat,iniiciantur,primum coctu contu
macia, seu quæ viribus suis adhuc inte-
gris,longam sustinent coctionem,qualia
ferè sunt radices, semina, fructus, corti- *Dios.*
ces lignorum:deinde illa quæ mediocri-
ter: postremò quæ ob essentiæ tenuitatẽ,
aut virium imbecillitatem,etiam media-
cri coctione exanimantur.Id quod odo-
re,sapore,colore natiuo mox perdito fe-
rè declarant.Quanquam color viridis in
adiantis, ruber in zizyphis magis inten-
ditur : quia in his valenter est mistus , &
adianti perpetuò virent.de quibus omni-
bus abundè libro præcedente, de coctio
nis ratione diximus. hæc dũ carbonibus
accensis coquuntur,quę spuma supernа-
tat,cochleari foraminulẽto deraditur, &
simplicia,pręsertim grauia,identidem ru
dicula tolluntur à fundo,ne vrantur,& le
uia merguntur,vt coquãtur, & vires suas
aquæ tradant.Vbi quãtum satis est cocta
erunt omnia (quod ferè fit hora vna) &
vim suam omnẽ in aqua iam quantũ sa-
tis est cõsumpta deposuerunt (q̃ in mul-
tis simplicib. sapor propè aqueus relicto
proprio declarat)igni aufer,&si vis in stã
neam peluim , aut stannatam transua sa:

tege discо mundo, horis quinque, sex, no ctẽ, diem, macerari permitte. Post id tem pus igni parum diu redde, vt recalescant tantum: tunc per stamẽ cola, & exprime. Expressum vel procul ab igni, vel potius igni redditum, ouorum duorum iniectis albuminibus in libras 8.9.10. scopulis agi ta diu, & permisce donec quãtum potest spumescat. Mox saccharum in frusta com minutum immitte, aut penidia, aut mel, & si qua sunt seorsum infusa, aut soluta, vt thamar Indi, cassia, agaricus. Postea co que, donec feruẽdo parum absit à super natãdo & effluendo, efflataq; modice spu ma decoctũ sub hac clarũ appareat. Tũc vt calet pãno laneo puro cola, si est gluti nosum, & quod primũ permearit rursus cola, & si vis totum bis, aut ter cola, muta to etiã colo, si propter prioris sordẽ opus est. Nã quæ ita calida colantur, igni mul tum tenuata, permeãt impuriora: si lẽto re carent, modicè refrigerata colẽtur: Pã no etiã digitis molliter expresso, nequid vtilis materiæ in eo & fæcib. maneat, ne tamẽ adeò exprimas, vt sordis aliquid si mul elicias, tunc enim iterũ foret colan dum. Vbi colando iam purũ erit expres sum, purgato interea & siccato lebeti red de, & igni lento percoque ad syrupi con sistentiam,

sistentiam, seu donec decocti vnciæ duę, aut tres in libris singulis supersint.

Si autem muccosa quædam sint incoquenda, vt semina maluæ, cydoniorum, lini, fœnigręci, mastiche, tragacantha, gũmi Arabicum, nodulo raro ligata filo lõgo & forti colato iam decocto incoque. Sunt qui tantum ante clarificationem incoquunt, alij ante & post. Postremò cum absoluta est coctio, expressum nonnulli abiiciunt: alij nulla ratione in decocto retinent, cum vires suas ea iam tradiderint omnes, non etiam aliquas retinẽt, vt nodulus aromatum, rha barbari, scammonij, ellebori nigri, & aliorum de quibus libro superiore in expressione.

Si verò ex infusione simpliciũ post coquenda fiat syrupus, omnia simul infundantur, deinde coquantur. Sic enim vis eorũ humori firmius, & diutius impressa, coctione iusta dissipari nõ videtur. Aqua autem infunduntur largiore sicca, rara quàm viridia densa, vt in syr. stœchados simplicium, verbi gra. parum tritorũ lib. vna maceretur horis 24. libris septem aquæ, si aridiora sint, libris octo, quarum vnam vel paulo plus ebibent: coquantur deinde igni lento ad partis tertiæ consumptionem, quod etiam citra infusio-

nem coquẽdo, faciendum est: postea exprime, & reliquum, & lib. quatuor percoque cum mellis despumati, aut sacchari puri libris quinque ad syrupi consistentiam, & syrupi habebis lib 6. & dimidiam: aut si hyems est, ad libras sex: si æstas, ad lib. quinque & dimidiam. Nam æstate syrupi magis coquendi quàm hyeme ne ferueant humore excremẽtoso feruoris & putredinis causa relicto, accedente externo calore hanc excitante. sacchari aut mellis purgati pondus par succo aut decocto quidam misceri volũt: alij verò etiam paulò plus ob nostrarum plãtarum cruditatem, ob quam etiam diutius syrupi nobis sunt coquendi, vt propè solum sacchari aut mellis pondus maneat percocto iam syrupo. Diutius etiã coquendum, si succi, aut decocti plus est quàm sacchari, aut mellis. Paulus tamen mellis partem vnam, succi, aut aquæ partes tres coquit ad partium duarum consumptionem in rhodostacte, succi rosarum sextarios duos, mellis sextarium vnum coquit ad quartæ partis consumptionem.

Coquuntur syrupi in vase quouis, sed q acetati sunt, in vase lapideo vel terreo, sed plumbato: quod etiã Mes. rectè monuit in syr. acetato simplici, ne acetum ex

ære æruginem eliciat quæ syrupũ vitiet, nisi vas æreum sit stannatum, quale est quo vtũtur ferè in officinis. In quibus coctionis perfectæ scopus est syrupi consistentia: si verò antequã mel recipiant, cocta erant parum, vt ad tertiæ partis consumptionẽ, post mel acceptũ magis sunt coquẽda, vt oxymel, de radicibus. Minus autem quæ cocta erant donec tantũ pars tertia remaneret, vt in oxymelite, de calaminthe mediocriter, vbi ad dimidias erant cocta, aut mel perfectius coctum illis minus coctum, secundis mediocriter coctum, postremis miscendum est.

Si operis specimen edis, aut etiam tecum componis, aquæ libras quindecim cum Mel. aut potius viginti, libras sex rosarum macera horas octo, expressis rosis nouas immitte, idque opus nouies repete: aut si libras aquæ tantum quindecim misces, expressum pende, quod si diminutum est, quod deest suffice alio expresso trium aut quatuor infusionum.

Syrupus rosatus sic paratur, Rosas recentes aqua feruente macera vase operculato, vbi hæc resederit, expressis rosis & abiecto, iterum feruefiat, & easdem rosas recentes alias macera. Id opus toties repete, donec aqua rubeat. Hæc albuminibus purgata cum pari saccharo Nicol.

percoquatur in syrupum.

Parari omnino hic debet aut iulepus rosatus Mes. in syrupum coquendus, non autem eius loco semper (quod hodie fit) substitui syr. ex rosarum siccarum infuso simplici, vel duplici cum pari, aut paulo parciore saccharo cocto & colato, q syr. rosarum siccarum est. Alius autem ex succo rosarum rubrarum fiat purgato, cum pari saccharo, tertius ex infusionibus nouem rosarum, præcipuè incarnatarum purgatorius.

Nicol. Mes. *Syrupus violatus, & nymphæa, & alij ex floribus eodem modo fiunt.*

Syrupus ex cydoniis fit ex libris decem succi cydoniorum coctis ad dimidias. Deinde biduo residere permissis donec clarescant. Tunc colentur, & cum libris tribus sacchari fiat syrupus.

Si saccharum est purum, eius lib. vna aquæ vnciis quatuor soluta tribus feruefactionibus in electarium coquitur, tunc succus cydoniorũ pistillo valenter commiscetur. sunt qui parũper saccharo propè percocto incoquunt: si impurum est saccharum, eius libra in aquæ lib. vna coquitur, clarificatur, colatur, percoquitur in electarium, fit vt prius. Sunt qui succos citra coctionẽ residendo, & insolando purgant, deinde cum saccharo clarificant,

ficant, colant, percoquunt. Alij aliter, vt ante diximus.

Syr. de granatis acidis, syr. de granatis dulcibus, syr. de omphacio, syr. ex succo oxalidis, eodem modo fiunt, & de ribes, & vua vxyacanthæ. Mes.

Similiter ex fructuum omnium, & herbarum succo fieri syrupus potest si ad dimidias coquatur, biduo residere permittatur, coletur, cum saccharo propè æquali percoquatur, in syrupi consistentiam.

Alij in his omnibus saccharum aqua pari solutum, coctum modicè cum albuminibus purgant, colant, percoquunt in electarij, aut penidiorum consistentiam. Tunc vbi frigescit, succos ipsos per albumina in colo relicta colatos, & claros paulatim baculo miscēt, qua componendi ratione succorum vis, præsertim frigida, vel aromatica integrior manet quàm si ipsi coquantur. Alij succos hos residendo, & insolatu purgatos, saccharo, vt dixi, percocto comprehendūt. Quam componendi rationem omnino præfero ei quæ succos ad dimidias coquit.

SYRVPI COMPOSITI.

Syrupus saporis de pomis recipit succi pomorum redolentium lib. tres, succi bugloßi do-

mestici & sylvestris ana lib. duas, folliculorum sennæ vnc. quatuor, croci drach. duas, sacchari albi libras tres. Fit autem sic, senna contrita horis 24. succis maceratur, semel aut bis ferue fiat, coletur: expressum pòst cum sacchar o percoquatur in syrupum: crocus autem panno lineo ligatus inter coquendum infricetur.

Mes. Syrupus portulacæ accipit seminum portulacæ tritorum lib. vnam, horis 24. macerandam in succi intybi cocti & purgati lib. quatuor. postea igni lento coque ad dimidias, & colatum cum sacchari lib. duabus percoque in syrupum.

Syr. adiantinus recipit glycyrrhizæ vncias duas, adianti albi vnc. quinque, tempera cum aquæ fontis lib. quatuor horis 24. coque ad dimidias, expressum percoque cum sacchari clarificati, aquæ adianti albi ana vnc. octo.

Ex adianti albi lib. vna, & vnciis duabus glycyrrhizæ purgatæ & tritæ, decoctis in aquæ libris sex ad consumptionẽ tertiæ partis cum sacchari libris tribus hic percoquimus, adianti albi, recentis penuria, alij cum sacch. libra, aut sesquilibra coquunt sine aqua adianti, alij adiantum album recens multum sine glycyrrhiza aqua macerant, exprimũt, cum sacchar o clarificant, percoquunt.

Mes. Syr. Zizyphorum fit ex Zizyphis sexaginta, viola-

violarum, seminis maluæ, ana vnc. quinque, adianti albi, glycyrrizæ, hordei mundati, ana vnc. vna, sem. cydoniorum, papaueris, melonis, lactucæ, tragacanthæ, ana drac. tribus, coctis cum aquæ fontanæ lib. quatuor, & lib. sacchari duabus.

Aqua est parcior quàm vt possit colari, ob id vel augenda est, vel semen maluæ & cydoniorum, & gummi tragacanthæ nodulo ligata clarificato syrupo immittantur, vel dimidium nodulo coctioni ante clarificationem immittatur: reliquũ iam clarificato. si autem muccaginem ex his extractam non clarificato immiseris, ægerrimè ob horum lentorem colatur: si colato, turbidus & impurus, ob id ingratior fit syrupus.

Syr. papaueris fit ex capitum papaueris albi & nigri, ana drachm. sexaginta coctis in libr. quatuor aquæ pluuialis ad consumptionem libr. 2. & dimidiæ, tunc percoquantur cum sacchari albi, & penidiorum ana vnc. quatuor. Ibid.

Largiore saccharo si cõdias, vt lib. vna, aut etiam duabus, gratius erit, & citra multam coctionem facultati refrigeranti inimicam diutius seruabitur, cum pauco autem saccharo puro, si diu non erit seruandum, est efficacius. Capita cum seminibus magnorum & paruorum siccorum

rum & humidorum media macerentur 24. horis: & si sint sicciora, pluribus deinde coquantur, donec tabescant: exprimantur cum saccharo, vel melle pro variis medici scopis, percoquantur in syrupum. Vide diacodium in Mes.

Ibidē. *Syr. acetatus simplex recipit aquæ fontis lib. quatuor cum sacchari lib. quinque coquendas in vase lapideo, ad dimidias semper despumando, tunc adde aceti albi clari lib. duas.*

Sunt qui saccharum aqua solutum mediocriter coquunt, albuminibus purgāt, colant, percoquunt in electarij consistentiam, frigescenti paulatim baculo miscēt acetum purum, vel per albumina in colo relicta colatum, idque ne candescat. Alij Nicolaum sequentes aceti albi partes duas cum saccharo purissimo coquunt & despumant, neque aliter clarificant. Hic quanquam minimum, tamen compositus est.

Syr. acetatus cum radicibus, recipit radicum apij, fœniculi, intybi, ana vnc. tres, seminum apij, fœniculi, anisi, ana vnc. vnam, sem. intybi vnc. dimidiam. Hæc omnia igni lento coquantur ad dimidias in aquæ fontanæ lib. decē, tunc additis sacchari lib. tribus clarificetur, deinde acetum additur.

Syr. Bizantinus (Hic putatur inuentus, vel

vsus

vsu multo celebratus Bizanti, vnde illi nomen. alijs à pretio denarij bizantini: qui quibusdam hodie etiam bisantius dicitur, vnde & syr. quoque hunc denarij vocant) recipit succi intybi, & apij ana libr. duas, succi lupuli, bugloßi hortensis, vel sylvestris ana lib. vnam, feruefiant semel & purgentur. Eius succi clarificati libras quatuor igni lento coque in syrupum cum saccha ri libr. duabus, & dimidia. interdum additur aceti mẽsura succorum purgatorum dimidia: interdum rosarum vnc. duæ, glycyrrhizæ, vnc. dimidia: spicæ nardi drachm. duæ sem. anisi, fœniculi, apij, ana drachm. tres: succis incoquuntur.

*Syr. de quinque radicibus accipit radicum apij, fœniculi, petroselini, asparagi ruſci, ana vnc. duas, coque libr. sex aquæ fontis, ad tertiæ partis consumptionem. expressum percoquitur cum saccharo libr. tribus, addendo sub finem aceti vnc. octo. * Incerti est autoris.

Oxymeli simplex fit ex aceti parte vna, mellis partibus duabus, aquæ partibus quatuor coctis in syr. consistentiam despumando.

Hodie sic coquunt quod diu seruandũ est. Oxymeli autem Galen. ex aceti parte vna, mellis partibus duabus, aquæ partibus hyeme octo, æstate etiam duodecim. Mel cum aqua primùm despumatur, vbi spumare desiit, cum aceto iterum despumatur.

matur, refrigeratũ albuminibus clarificatur, igni redditur parũ diu, cùm tollitur, cinnamomum ad drach. vnam in lib. singulas: dum refrixit, per pannum bis, ter colatur: addito sivis etiam tum cinnamomo iucundissimũ, dies paucos loco frigido seruatur, ex albo aceto melle pulchrio.

Mesues. *Acetum scillinum sic fit, scillæ laminas inter corticem & cor medias, acu linea filo consutas tanto interuallo ne se contingant siccabis in vmbra dies quadraginta, postea concisam cultello ligneo lib. vnam dies alios 40. insolabis, in aceti boni lib. 8. in vase vitrato, stricti orificij bene obstructi, postea colabis, & seruabis.*

Sunt qui inter scillæ laminas ne se tãgant, & ad odoris gratiam intersuunt fœniculi viridis, aut sicci stipites.

Ibidẽ. *Oxymeli scillinum fit ex aceti scillini libr. duabus, mellis despumati, lib. tribus decoctis despumando.*

Ante mel sit despumatum, vt in melle rosato, sed quam spumam vi aceti scillini expuit, eam derade.

Oxysaccharum fit ex aceti vnc. quatuor, saccharo lib. vna, succi granatorum acidorum maturorum libr. dimidia.

Saccharum si purum est aceto solutũ, duabus aut tribus feruefactionibus coquitur in electarium, postea cum parum refri

refrixit, pistillo miscetur succus granatorum. Si autem saccharum est impurum, ex aqua coquitur & clarificatur, deinde aceto & succo percoquitur.

Syr. absinthij recipit absinthij Romani libr. dimidiam, rosarum rubrarum vnc. duas, spicæ nardi drachm. tres, vini antiqui boni & odori, succi cydoniorum ana lib. vnam & dimidiam. In his macera horis 24. prædicta coque igni lento ad dimidias cum mellis libr. duabus, fiat syrupus.

Absinthium, rosæ, spica minutim concisa, vino & succo macerantur, coquuntur, exprimuntur, expressum cũ saccharo clarificatum percoquitur in syrupum. Satius fuerit absinthium per se infundere, & rosas, & spicam simul, deinde infuso absinthij parum cocto addere alterum, & parũ simul coquere, exprimere. In expresso lib. sacchari dissoluti albuminibus clarifica, cola, tunc adde lib. reliquam sacchari, sed purissimi, vel per se clarificati. Si enim decoctum id cum duabus simul libris sacchari clarificas, ob succi paucitatem non percolabitur, nisi succum, vt dixi, auxeris ad lib. duas & dimidiam.

Syr. menthæ recipit succi cydoniorum acidodulcium & dulcium, succi granatorum acidorum, dulcium, acidodulcium, ana, libr. vnam

&

& dimidiam, foliorum rosarum vnc. duas, coque igni lento ad dimidias, cum mellis vel saccharilibr. duabus fiat syrupus, aromatizetur cum gallia.

Succos potes sole, igni, quiete purgare, & his reliqua macerare, vel citra purgationē. His cætera macerabis horis 24. igni lento coque, exprime, recoque, clarifica cū saccharo, vel saccharum clarificatum misce, cola, exprime cum saccharo, expressum clarifica, colatur pāno ægrè & lentè, sed tandem aut pannum muta, aut saccharum, vt prius, partire.

Loco syruporum fumariæ maioris & minoris hodie coquimus syr. ex succo solius fumariæ cocto residendo, purgato, percocto in syrupū cum saccharo æquali.

Mesues. Syr. epithymi recipit epithymi boni hortensis drach. viginti, Myrobalanorum Indarum, citrearum ana drach. quindecim, cassuthæ, fumariæ ana drach. decem, thymi, calaminthes, buglossi, stœchados, glycyrrhizæ, polypodij, agarici, myrobal. emblicarū, & belleric. ana drachm. sex, rosarum, sem. fœniculi, anisi, ana drac. duas & dimidiam, pruna viginti, vuarum passarum purgatarum vnc. quatuor. Thamar Indorum vnc. duas & dimidiam, saccharilibr. quatuor, sapæ lib. duas, fiat syrupus.

Pruna

Pruna, vuæ, ſemina, polypodiũ in aquę libris octo coquantur: poſtea glycyrrhiza, bugloſſus fumaria: pòſt myrobalani, calaminthe, thymus: deinde propè coctis epithymus, caſſutha, ſtœchas, roſæ, agaricus, addantur: vbi aquæ dimidium erit conſumptum, aufer igni, macerari noctẽ vnam ſine, recalfactum exprime, expreſſum clarifica cum ſaccharo, & cola. Thamar Indi cum decocti vnciis duabus creti & penſi, vt purgatis pondus iuſtum expleant, ſyrupo addantur, minimum coquantur ad decocti ſcilicet conſumptionem, & ſapa ſyrupo ſoluta miſceatur: recoqui enim non debet. Sine his duobus ſapore iucundo præditis conſiſtentia fuerit liquidior, clarior & gratior, & efficax ſyrupus ad ea quæ promittit. Sunt qui rectius agaricum, & myrobalanos ſeorſum infuſos exprimunt, & aliis miſcent, paulò ante colationem,

Syr. ſtœchados recipit florũ ſtœchados drach. triginta, thymi, calaminthes, origani ana drac. decem, amiſi, pyrethri, ana drach. ſeptem, piperis longi drach. tres, Zingiberis drachmas duas, vuarum paſſarum purgatarũ vncias quatuor, mellis libr. quinque: condiatur cinnamomi, calami aromatici ſpicæ nardi, croci, Zingiberis, piperis nigri & longi ana drachm. vna & di-

midia, ligata in panno raro & appensa in syrupum.

Coquitur in aquæ libr.septem, vel octo ad lib.circiter duarum consumptionem, colatum cum sacchari libr.quinque clarificatur, colatur, propè percocto immergitur sæpe nodulus, & rudicula comprimitur: postremò in percocto appenditur. Vuæ, origanum, calaminthe, pyrethrum, zingiber, piper, thymus, stœchas hoc ordine coquantur.

Syr. lycyrrhizæ recipit glycyrrhizæ vnc. duas, adianti albi vnc. vnam, hyssopi sicci vnc. dimidiam, horis 24. macera, aquæ lib. quatuor, coque ad dimidias, expressum percoque cũ mellis, sacchari, penidiorum ana vnc. octo, aquæ rosarum vnc. sex.*

Despumati.

Hodie coquunt plerique sine maceratione quòd ex his facultas in aquam coquẽdo promptè trahi possit. Hæc rosarũ aqua percocto iam syrupo addenda, sed coquendo consumẽda, nisi cum quibusdam drac. tantum sex misceas. tunc enim recoqui non oportet, quia aqua tã pauca saccharum non recrudat. Sunt qui mane macerant, post meridiem coquunt, penidia hæc fiãt ex saccharo purissimo (nam impurum ægre colatur) hoc est, saccharũ ad consistentiam penidiis debitam coctum

ctum, & pertritum pistillo ligneo in vase, non autem manibus oleo inunctis etiam cum amylo, tractum in penidia nempe illo saccharo impuriora.

Syru. hyssopi recipit hyssopi mediocriter sicci radicū apij, fœniculi, glycyrrhizæ, ana drach. decem, hordei mundi vnc. dimidiam, sem. maluæ & cydoniorum, tragacanthæ ana drach. tres, adianti albi drachmas sex, Zizypha, myxa ana triginta, vuarum passarum purgatarum drach. duodecim: ficus siccas, dactylos pingues ana decem, penidiorum alborum libr. duas: fiat syrupus.

In lib. aquę sex calidas iniice hordeum, hora pòst dimidia radices, si dantur recentes, elignatas tamen & concisas: horę quarta parte post, fructus omnes, mox semina, & tragacantham linteo raro ligata, filo longo, postremò adiantum, penidia vt prius.

Syrup. prassij, recipit prassij vnc. duas, hyssopi, adianti albi, ana drac. sex, glycyrrhizæ, vnc. vnam, calaminthes, anisi, radicum apij, fœniculi ana drachmas quinque, ireos, semin. maluæ & fœnigræci ana drachm. tres, sem. lini, & cydoniorum ana drachm. duas, vuarum passarum purgatarum vnc. quinque, ficus passas pingues quindecim, penidiorum, mellis boni despumati ana lib. duas.

In aquæ libris octo radices primũ, deinde aniſum, vuæ, ficus: poſt praſſiũ, hyſſopum, calaminthe: poſtremò adiantum. coquantur ad dimidias, horis ſex macerentur, recalfiãt, exprimantur, cum penidiis & ſaccharo clarificentur, colentur, percoquantur in ſyrup. interea identidẽ in id colatum, & ſi vis expreſſum immerſo & confricato nodulo ſemina maluæ, lini, fœnigræci, cydoniorum continente.

Syrupus intybi recipit ſucci intybi vna ferueſactione, deinde reſidentia purgati libr. octo, affunde paulatim, ſaccharo, ſi impurum eſt clarificato. Si verò minus eſt purum, ſucco diſſolutum coquatur, cum albuminibus purgetur, coletur, percoquatur in ſyrupum: nam hic ſuccus promptè corrumpitur, cum ſuccus limonum, granatorum, cydoniorum, etiam per ſe ſeruari poſſint, & multò magis parum cocti cum ſaccharo.

Intybum accipe cichorium ſylueſtre, nõ lactucam ſylueſtrem, vulgi endiuiam ſeu intybum. Ne ſit opus præterea ſyrup. duobus de cichorio, ſimplici, & de endiuia ſimplici. Quod ſi in aliquibus ſcripturis intybus & cichorium requirantur, vel ipſum auge, vel ſatiuum & erraticum, anguſtifolium, aut latifolium, vel alias cichorij ſpecies miſce.

Syrũ

Syruptus arthemisiæ Matthæi Gradi in capit. de mensibus ciendis libr. 9. ad Almansorem, recipit arthemisiæ manipulos duos, pulegii, calaminthes, origani, melissophylli, persicariæ, sabinæ, sampsuchi, chamædryos, hyperici, chamæpityos, matricariæ cum flore, centaurij parui, rutæ, bethonicæ, bugloßi, ana manipul. vnum: radicum fœniculi, apii, petroselini, asparagi, ruscí, saxifragiæ, enulæ, dictamni, cyperi, rubiæ, iridis, pæoniæ ana manipulum vnum.

Seminis iuniperi, libystici, petroselini, apii, anisi, melanthii, carpobalsami, costi, asari, pyrethri, cassiæ lignea, cardamomi, calami aromatici, phu, ana vnc. semissem. Quassata infundantur aquæ fluuiali sufficienti horas 24. post coque ad aquæ dimidiæ consumptionem. Tunc aufer igni, dum aqua tepuerit, frica manibus omnia & cola. expressum percoque in syrupum cum mellis & sacchari quantitate sufficienti. Additur interdum acetum acerrimum, vel scillites largius, parcius proscopis variis, aromatizatur cinamomo & spica.

In aquæ libris octo coque primũ radices noſtrates, deinde ſemina, pòſt herbas, poſtremò pyrethrũ, & aromata. Coſtum, aſarum, caſſiam, cardamomum, calamum aromaticum, phu, vbi libræ quatuor ſupererunt, fiat, vt in cæteris, & cum

sacchari & mellis ana libra vna, & dimidia percoquatur, vt sit efficacius, quãuis plurima multum amara recipiat, pauco melle & saccharo dulcoratur, persicariã astringentem & frigidam, quæ maculato est folio nonnulli miscent: ego autem acrem & non maculatam vsurpandam censeo, vt acria & menses mouentia sint omnia, nulla temperantia.

Syrup. cichorij ex Gulielmo Placentino, recipit cichorij manipulos duos.

Foliorum bugloßi vtriusque, lactucæ, cichorij hortensis, oxalidis, violæ nigræ, sereos triticariæ ana manipulum vnum, rha barbari drachmas duas.

Herbæ tritæ coquantur in libr. duabus aquæ ad partis tertiæ consumptionem, colentur. Adde expresso saccharo libras duas, clarificetur, & iterum coletur, reddatur igni: adde rha barbarum pulueratum panno lineo ligatum, & sæpe confrica, donec syrupus erit percoctus.

Syrup. cichorij alter ex Nicolao Florentino, recipit intybi satiui & erratici ana manipulos duos, cucurbitæ, lichenis, lactucæ syluestris, & satiuæ, fumariæ, lupulorum, ana manipulum vnum, hordei integri, halicacabi ana vncias quatuor, glycyrrhizæ, adianti albi & nigri, & vulgaris, asplenij, cassuthæ, ana drachmas sex, radicum fœniculi, apij, asparagi, an a

vncias

vncias duas. coque in aqua sufficienti, cola, cum saccharo clarificatum, & rursus colatum percoque in syrupum conficiendo in eius libris singulis rha barbari drachmas quatuor, panno raro ligatas cum spicæ nardi scrupulis quatuor. Dantur vnciæ tres cum emulsione seminum quatuor frigidorum maiorum.

Hi duo syrupi hepatis obstructionibus, & intemperaturæ calidæ destinati, quia nominibus Barbaris, & nemini intellectis constant, pelagus opinionum pepererunt. Nam endiuia syluestris & domestica, taraxacon, batissosere, scariola, cichorium quid apud hos sit Barbaros nunquam possis ex ipsorum scriptis didicisse, tam sunt ea plena crassa ignorantia. Propterea mihi videtur satius, cum cichorij seu seridis genus omne eadem sit facultate, cichorium autem quod syluestre est, stomacho vtilius & efficacius sit, vt syrupus hic ex solo fiat cichorio, aut cichorij succo, sed largiore, vt sit simplicissimus, cui si ad pompam voles alias seridis species miscere, & lactucam satiuam & agrestem, & sonchum vtrunque, & hieracium vtrunque, & chondrillam luteam, ac ceruleam, & si quid aliud tam satiuum quàm agreste lacteum est, ac cichorij generis, nihil repugno, modò tam non

sis anxius in harum vocum Barbaris cum re corruptarum inquisitione. Assuesce igitur vocibus Dioscoridis, nec te afflicta desiderio barbararũ vocum, quæ quid significent ne ipsi quidem qui hos syrupos scripserunt, nec ipsorum alius quisquam vnquam pernouit, aut certò definiuit.

Endiuia (quod nomen ex intybo coruperunt) Barbaris est quæ lactuca syluestris Dioscoridis videtur. Thuscis autem vulgò endiuia est intybus, seu seris, lato folio: scariola verò ex seride etiam deprauatum est, intybus est satiuus angustifolium.

Taraxacon, seu altaracon etiam Gatinariæ, aut cichorium est, aut dens leonis, seu cichorium erraticum, latisolium Plinio dictum. Batissoseris Hermolao corruptum videtur ex baptisecula, quæ illi cyanus est, ruribus sic dicta, quòd seculam, id est, falcem messoriam remoretur: alij malunt baptissosetim esse serim, id est, cichorium quoddam erraticum, in tritico frequens, flore cyanum referente, quibus magis accedo.

SECTIO TERTIA DE *Eclegmatibus.*

Lohoc. ECclegmatum seu linctuum materiæ ferè sunt Mesuæ partes plantarum.

Radi

Radices, vt glycyrrhizæ, ſcillæ, iridis, bryoniæ, allij, ari, dracontij, cannæ vſtæ, quod ſpodium Arabibus dicitur.

Herbæ, hyſſopus, praſſium, adiantum album, calaminthe, braſſica. Flos croci. Fructus, vuæ paſſæ, ficus paſſæ, dactyli, myxa, zizypha, capita papaueris albi.

Succi radicum, glycyrrhizæ, ſcillæ.

Succi herbarum, braſſicæ, praſſij, fœniculi, cannarũ ſacchari, id eſt, ſaccharum, & ex hoc penidia, mel.

Succi fructuum, mororum batinorũ, nucum, myrtarum, pulpa caſſiæ, ſapa.

Gummi, tragacãthi, arabicum, myrrha.

Semina papaueris albi, & inde ſyrupus, pſyllij, cydoniorum, maluæ, melonũ, cucumeris, citreoli, amygdalę dulces, amaræ, ſtrobili, auellanæ, lactucæ, portulacæ, lini, fœnigræci, fœniculi, aniſi, naſturtij, amylum, farina fabarum.

Cortices, cinamomum, & alij cortices, radicis capparis, tamaricis, ellebori, petroſelini, &c. Præter hæc aqua cui multa horum infunduntur, incoquuntúrve: & ex animalibus pulmo vulpis, butyrum.

Ex his radices & herbæ teruntur, ſi ſint ſiccæ, vel aqua incoctæ, & tritæ, & cretæ aliis miſcentur, ſpodium ducẽdo friatur.

Fructus purgati teruntur, cernuntur:

sed dactyli intus & foris purgati ante decocto thoracico aliquo macerantur: capita papaueris albi macerantur, coquuntur, exprimuntur, abiiciuntur.

Succi omnes ferè hoc loco liquidi sunt, & ob id promptè miscentur, glycyrrhizæ autem succus, vel dissoluitur, vel in taleolas sectus, inter papyros siccatus, aut aliter calfactus, scilicet aliquoties pistillo & mortario teritur.

Gummi teruntur calfactis pistillo & mortario, si est siccatione opus, vel in muccagine soluuntur.

Semina si maiora sint, depellata cultello inciduntur, vt amygdalæ, strobili, pistacia, auellanę, fabæ, melonum, cucumeris, citreoli, si parua puluerantur, & si vis horum quædam vt papaueris pòst inciduntur. ex aliis etiam muccago extrahi, & reliquis misceri potest, vt ex semine lini, fœnigræci, cydoniorum, psyllij.

Huius verò tempestatis eclegmatum materiæ, magis sunt penidia, pillulæ albæ, bechicæ, electarium vel puluis E. diatragacanthi frig. diairis simplicis, & Salomonis, diacalaminthes, diahyssopi, diaprasij, saccharum candefactū, succus glycyrrhizæ, cassia cum syr. adianti, glycyrrhizæ, zizyphorum, vel alio thoracico magis

magis & minus calido, tergente, incidente, pro medici indicationibus. Quibus misceri possunt etiam alia simplicia prius dicta dulcia, amara, acria.

Tamen ex veterum eclegmatis hodie quidam retinent eclegma sanum, ex pulmone vulpis, diacodion, diamoron, diacaryon. De quibus quia est abundè nobis dictum sectione tertia Mesuæ, frustra hîc repetenda non fuerunt.

Sunt etiam qui compositum hoc medicamentum eclegma cassiæ pro enematibus vocant, & sic parant: In libra vna decocti violarum, maluę mercurialis, betę, parietariæ, absinthij coquunt mellis libram dimidiam, & sub finem iniiciunt pulpæ cassiæ fistulæ purgatæ libram vnã.

SECTIO QVARTA.

SEctio quarta de apozematibus, & infusis est: quia tamen horum nullum hodie in vsu est, satius fuerit si quem vtendi cupiditas ceperit, Mesuen consulere. Quæ autem infusa & apozemata in rem præsentem hodie facimus, lõgè sunt ab illis diuersa, & tam paratu facilia, vt vel puero perspicua sint. Quapropter de his supersedere malui quàm parum necessaria, etiam intelligentibus inculcare, præser

præsertim cùm statuerimus aliquãdo dare typographis commẽtarium quendam nostrum de remediis medicis omnibus sumendis & admouendis: in quem multa congerimus exempla apozematum, & infusorum hac ætate consuetorum, quæ ad medicum magis quàm ad pharmacopœum pertinent.

SECTIO QVINTA.

SEctio quinta de antidotis, seu electariis, quorum materiæ ex omni medicamentorũ simplicium genere petuntur. Hæc formis quatuor præcipuè parantur, sicca seu puluere, melle excepta, vel saccharo, vel alio humore.

Quoniam verò puluis horum est materia reliquarum trium formarũ, de puluere prius mihi fusius dicendum, quoniam hic vario fit modo, vt mox audies.

Vt autẽ planius intelligas, pauca quædam capita ex trituræ ratione mihi sunt leuiter perstringenda, ne in compositionibus singulis hæc sint inculcanda.

Teruntur primùm radices acori, cyperi, costi, phu, gentianæ, glycyrrhizæ, mei, zingiberis, & similium, & interdum coquuntur, si electarium præsertim molle est futurum, sed antè leuiter fractæ.

His

His mediocriter tritis semina fœniculi, apij, petroselini, anisi, dauci, ameos, seseleos, amomi, cardamomi, & similia adduntur.

Semina autẽ cucumeris, cucurbitę, melonis, citreoli, cnici, vt nuclei pinei, amygdalæ inciduntur cultello per se, aut etiam saccharo pauco, ne pinguescant adiecto.

Postea herbæ siccæ, cassia, cinamomũ, aspalathum, calamus odoratus, caryophylla, spica nardi, schœnuanthos.

Postremò flores rosarum, croci, epithymi, forficibus antè consecti.

Vuæ, dactyli, & similes fructus, vel per se triti cernuntur impulsu manuum, aut cochlearis, vt cassia, thamar indi: vel secti cum sicciοribus teruntur.

Bdellium, opopanax, ammoniacum, opium, myrrha, vino, melle, vel alio humore soluuntur, vel parua portione cum aliis sicciοribus multis teruntur minutim prius secta, sic os cordis cerui, rasura eboris. Turbith modicè quassatum vbi erit in diaphœnico, electario Indo vtroque, & similibus, tunc sicciora misceantur zingiber, piper, & similia, vt puluerari possit. Nam per se latescit, non pulueratur, si sit legitimum. Quæ industria scammonio, opio, & liquoribus, gummis, resinis

nis terendo latescentibus confert: vel pistillo & mortario calfactis illa siccare: sed id multum virium à medicamento digerit.

Terẽda prẽterea tenuissimè calida cùm vrinas mouere studemus, vt thymũ, asarum, cyminum, vt in aurea, athanasia, esdra, hẽmagogo, diacurcuma, dialacca maioribus E. aromatico: crassius verò quum purgare studemus, vt in antidoto hamech vtraque in electario Indo maiore.

Per se teruntur rha barbarum, scammonium, nisi quòd oleum amygdalarum dulcium vtrique à quibusdam miscetur: & postrema miscentur ac è propinquo, & clementer ne euolent, aut exhalent. Seorsum quoque thus masculum, myrrha, mastiche, succinum, gummi Arabicum, tragacantha, moschus, caphura, ambra: sed hæc tria ferè cum pauca aqua rosarum, & postrema miscentur etiam è propinquo, qua ratione rha barbarum, & scammonium. Priora autem minutim secta mortarium siccius postulant, vt euphorbium, styrax calamites, sal gemma, sericum. anacardi etiam per se terantur.

Vniones, corallium vtrunque, lapidum pretiosorum fragmẽta in mortario lapideo vel æreo primùm crassius teruntur, postea

postea super marmor porphyrium, vel alium lapidem durissimum ducentur, friãtur, affusa identidem pauca aqua rosarum, aut buglossi.

Lemnia terra, vt bolus armenia per se est friabilis, & humore aliquo soluta, mox liquescit modo calcis.

Multa alia huc pertinentia ex modo componendi theriacem scripto nobis libro quarto methodi medicamenta componendi possunt huc transferri, quale est illud quod mortarium in quo prædicta omnia teruntur, & cætera alia præsertim preciosiora, est tegendum etiam duobus operculis, ne quod est tenuissimũ exhalet, ac euolet, eadem ratione quod iam est cretum curiosè inuoluatur. Si electariis succi, vel humida alia ascribuntur, tollenda sunt, si hæc sicca & puluere seruaturus es pyxidibus vitreis, vt ferè hodie fit: si verò electarium formare libet molle, sunt vsui quę forma veteribus magis placuit. nam quæ hodie est electarij sicci, & solidi forma, minus est vsu frequens, nisi ad palati gratiam.

Si etiã dactylos, vuas, ficus recipit medicamentum, tollantur, si puluerẽ vis, nisi pauca cũ magna siccorũ copia puluerari posse videantur. si autẽ electarium molle

cona

conaris, purgentur, secẽtur, terantur, cernantur, & aliis misceantur.

Si puluis ante electarii solidi compositionem amygdalas, strobilos, semina frigida maiora, & similia recipit, hæc vtendi, & electarium parandi tempore misceãtur: quia diebus paucis rancida fiunt, & compositum vitiant.

Pulueris vnc. vna, vel etiã drach. sex vni libræ sacchari ferè miscentur in electario solido: sunt qui parcius iniiciunt, non vt crassius sit electariũ, sed vt ipsis cõstet minoris, præsertim cum precioſa recipit, vt electariũ de gemmis, diambra, exhilarãs.

Pulueris verò vnc. 3. ferè traduntur libræ vni mellis despumati: sic tamẽ vt saccharum, penidia, dactyli, amygdalæ, strobili, & similia pulueris appellatione tunc non veniant. Mel tamen crudum quadruplum omnium puluerum miscet Mesues in antidoto diamoschu.

Cùm verò pulueres miscentur, sit mel tepidum adeò, vt digitos admittat mel ipsum, vel fundum sartaginis quæ mortario, vel alterius manibus fi mata sit oportet, quando pulueres pistillo ligneo sunt commiscendi. Id quod etiam seruandum est, si electariũ solidum es facturus, quod primũ in offas mazæ modo cogũt, deinde

de manibus & pistillo ligneo super papyrum puram complanãt in flaminicæ placentæ figuram, mox cultello secant in bucellas, & tessellas, nunc rhomboides, nunc quadratas, nunc triangulas (quas lozengas vocant) nunc longiores digitorũ formas, quas ob id manus Christi vulgus vocat. Quibus præterea pondus circumscribunt, vt drach. vnius vel plurium.

Porrò in antidotis mollibus, vt catholico, diapruno, antidoto hamech, cũ cassia & thamar Indi cum humore aliquo soluta cernũtur, thamar Indi antè per horam sunt macerãdi quàm cernátur, vtraque verò antequã soluatur, humor est pẽdendus, vt intelligas an cum eo pondus iustum thamar Indorũ & cassiæ postquá creuisti, retinueris. Eodem modo in manna & aliis eiusdem generis, quod etiam in pilulis seruandum audies, dum lachrymas humore soluras cernes, aut colabis.

Antidotus diambra Mes. recipit cinamomi, doronici, caryophyllorũ, macis, nucis moschatæ, folij, galãgæ ana drach. tres, spicæ nardi, cardamomi maioris, & minoris, ana drach. vnã, Zingiberis drach. vnam, & semissem, santali flaui, ligni aloes, piperis longi ana drach. duas: ambræ aureum vnum, moschi drach. dimidiam.

Ant. de gemmis Mes. recipit fragmentorum

saphyri, hyacinthi, sardinis, granatorum, smaragdi ana drac. vnã & semissem, Zedoariæ, doronici, macis, corticis citri, sem. ocymi caryophyllati, ana drac. duas, corallij rubri, succini, limaturæ eboris ana script. duo. been albi & rubri, caryophyllorum, Zingiberis, piperis longi, spicæ, folij, croci, cardamomi minoris ana drac. vnam, trochiscorum diarhodon, ligni aloes, ana drach. quinque, cinamomi, galangæ, Zurumbet ana drach. vnam & semissem, foliorum argenti & auri ana aureum dimidium, moschi boni drach. semissem, ambræ drach. duas.

Ambra, moschus per se terantur, coral lium & pretiosi lapides, aut per se singuli, aut omnes simul quo dixi modo. cætera simul terenda, sed ordine seruato.

*Ant. exhilarans Galeno ascripta, recipit apud Nicolaum, succi pomorum dulcium & odoriferorum, succi cydoniorum, succi florum borraginis, * florum basilici.*

* seminis alij.

Vini veteris.
Croci, macis, Zedoariæ.
Xylobalsami, caryophyllorũ. } ana drach.
Corticis citri, galangæ. } quinque.
Nucis, moschatæ, styracis calamitæ.

Caphuræ, ambræ, moschi ana drach. vnam, anisi, thymi, epithymi, rasuræ eboris ana drach. duas, margaritarum, ossis à corde cerui ana drach.

drach. vnam, auri & argenti puri ana scrip. vnum, sacchari quantum sufficit.

Antidotum hanc non esse Galeni planè conuincunt macis, zedoaria, caryophylla, galanga, moschocarion, caphura, ambra, moschus, simplicia Galeno ignorata: & ebur, margaritæ, os à corde cerui, aurum, argentum, saccharum, sumi nondum cœpta Galeni seculo, aut saltem infrequentia. Saccharum cum succis coquendum, cui percocto & refrigerato pulueres miscendi sunt.

Sacch. lib. 7. in aqua dissolutæ & coctę, additis ad postremum his succis coquantur quantum satis est ad comprehendendas vncias circiter septem huius pulueris. Electarium lætificans Nicolai Alexandrini ab hoc est diuersissimum.

Hi pulueres tres antidotorũ præcipuè nobis sunt in vsu, quamuis Mes. & Nicolao humore aliquo excipiantur in electariũ molle, vt nobis tempore vtẽdi in electarium solidum saccharo per humorem idoneum, sed paucum soluto percocto, vt pulueris vnc. vna habeat sacch. vnc. 12. vel pul. horum iuribus & condimentis miscetur. Præter hos autem alij, quia vsu rari à nobis consulto prætermittuntur, præsertim ea fusius in Mesue & Nicolao

interpretatis, vnde poterit pharmacopœus corrogare, si quando parare imperetur. Tales sunt antidotus diacalaminthæ, diatrion pipereon, dioſpoliticũ, diahyſſopum, diaſennæ, diacoſton, diairis Salomonis, diapenidion, diacomeron, diatragacanthum calidum, diamargariton calidum, alia eius generis permulta.

Nunc de antidotis dicendum quæ ob id opiatæ vocantur, quòd harum multæ opium recipiunt, quibus aliæ cõſiſtentia ſimiles nomen idem vulgo ſunt ſortitæ.

Antidotũ catholicum Nicolai, Galeno aſcriptum, recipit folliculorum ſennæ, caßiæ fiſtulæ purgatæ, thamarindorum ana vnc. octo, rhabarbari, violarum, polypodij, aniſi ana vnc. quatuor, glycyrrhizæ raſæ, penidiorũ, ſacchari candefacti ana drach. quatuor, ſeminum quatuor frigidorum, purgatorum ana vnc. vnam. Polypodij alterius lib. vnam, tritam, in aqua coque diu, colatũ percoque in ſyrupum cum libris octo ſacchari. Caßiam & thamarindos in colati parte diſſolue, cola, ſyrupo iam percocto adde, poſtremò pulueres adiice.

Senna, polypodium, glycyrrhiza, aniſum, violæ ſimul terantur, rha barbarum per ſe, ſemina 4. frigida maiora excortica ta ſcalpello minutim concidantur cum ſaccharo & penidiis, ne pingueſcant.

Caſſia

Cassia & si recentes sunt thamar Indi per se cernantur potius, quàm cum decocti portione soluantur, ne sint ad accepti humoris consumptionem coquenda.

Si verò thamar Indi decocto soluũtur & cernuntur, id pendendum, vt intelligas si cretorum thamar Indorum pondus quæsitum habes.

Vbi ex decocto polypodij syrupus erit percoctus, & ab igne depositus, iam modicè refrixerit, cassia & thamar Indi creta parte syrupi dissoluantur, mox syrupo misceantur, postea puluis prædictorum, postremò rha barbarum & concisa semina paulatim addantur pistillo ligneo probè permiscendo. Si verò cassiam & thamar Indos decocti portione, vt vnc. duabus solueris & colaris, probè percocto ipsi syrupo misceantur, vt coctione acceptum humorem deponant. Hodie sunt qui delicatius, & efficacius componunt, sed sumptuosius: sennæ enim vnc. sexdecim in libris quatuor, rha barbari vnc. octo, in libra dimidia decoctis radicis polypodij infundunt, sennę expressum cum sacch. coquunt in electarij propè consistentiam. expressum rha barbari miscent paulatim extra ignē, deinde cassiam thamar Indos creta & pulueres.

Diaprunum simplex Nicolai recipit pruna

Diadamascenõ dicitur Nicolao Alexãdrino, & viridia Damascena elegit.

Damascena matura centũ. Hæc aqua ad dissolutionem percocta vbi modicè refrixerunt, exempta inde & manibus confricata, per cribrum cernuntur, cortices & ossa abijciuntur. Aquæ hæc cum dimidia vncia violarum, recocta * cum sacchari libris duabus in syrupum percoquitur, addendo pulpæ prunorum prædictæ libram vnam. Hæc vbi coquendo crassescere incipient, cassiæ recenter extractæ, thamar Indorum ana vncia vna in portione parua prædictæ aquæ dissoluatur, coletur, admisceatur semper spathula mouendo, dum perfectè omnia hæc erunt cocta, aufer igni & adde spathula semper miscendo puluerem sequentem, santali albi & rubri, spodij, rha barbari ana drac. tres: rosarum, violarum, seminis portulacæ, intybi, oxyacanthæ, succi glycyrrhizæ, tragacanthi ana drac. duas: quatuor seminum frigidorum maiorum purgatorum ana drach. vnam. Si verò purgatorium vis medicamentum ab igne vbi abstuleris, adde scammonij præparati vnc. dimidiam in libras singulas.

* & colata.

Nicol. Alex. scãmonij dra. 7. in li. singulas miscet.

Sunt qui scammonij drach. sex, alij vnciam vnam miscent libris singulis, sicque nescientibus medicis imponsit. fit enim vt medicamẽtum valentius purget, quod tamen clementius existimabat medicus instituisse.

Ant. diaphœnicon Mes. recipit p. hœnicon cirrhon.

cirrhon, id est, dactylorum fuluorum aceto per triduum maceratorum partes centum, penidiorum cum aqua hordei coctorum partes quadraginta, turbith partes triginta quinque, amygdalarum purgatarum partes triginta, scammonij partes duodecim, Zingiberis, piperis longi, cinamomi, macis, galangæ, ligni aloes, foliorum rutæ siccorum, anisi, fœniculi, dauci, ana partes duas & semissem. Probe trita hæc omnia melle despumato excipiantur. *Lib. trib.*

Dactyli intus & foris purgati quo sunt sicciores, eo diutius & largiore aceto sunt macerandi, quo recentiores & humidiores, minus diu & parciore aceto macerentur. Quin si prę humidi sunt, citra maceration em teri possunt, aceto pauco interim affuso. ferè autem nobis sunt passi, purgati igitur, & particulatim secti aceto parciore sine igni macerentur triduo in vase siliceo, vel vitrato tecto, pistillo ligneo in mortario lapideo curiosè terantur, manu cernantur per cribrum setaceum, vel stamen, vel reliquæ pellicula eximantur. Potes cum his amygdalas depellatas terere & cernere, aut cultello minutim concidere, vti & nucleos pineos (quos nonnulli penidiorũ loco adhibent) sed cum pulpa dactylorũ ad aceti

consumptionem sit parum coquenda amygdalæ pingueſcerent, ob id melius inciduntur & cum puluere reliquo miſcentur. Mellis lib. ſex aqua dupla deſpumatæ dum aqua conſumpta ad libras tres * redierint, & cydoniati liquidi cõſiſtentiam habeant dactylos miſce, parum diu coque, vt acetum exhalet. Quidam ſaccharo excipiunt in electarium ſolidum, vt & diacnicum, bene tamen coquatur, & loco ſicciore reponatur, ne rancidum fiat. Nicolai Alexãdrini diaphœnicon carnium dactylorum drach. centum recipit, cætera multum ab hoc diuerſum eſt.

* *ſunt enim puluerꝭ vnciæ nouem ſi drach. partem accipiꝭ.*

Ant. hamech apud Meſuen, recipit myrobalanorum flauarum vnc. quatuor, cepularum, Indarum, rha barbari ana drachmas duas, agarici, colocynthidos, polypodij querni ana drach. ſexdecim, abſinthij, thymi, ſennæ ana vnciam vnam, violarum drach. quindecim, epithymi vnc. duas, aniſi, roſarum, fœniculi ana drac. ſex, ſucci fumariæ lib. vnam, pruna numero ſexaginta, vuarum purgatarum vnc. ſex. macera omnia ſero lactis dies quinque in vaſe vitreato, oris anguſti, obturati. Poſt hos ſemel ſerue fac, cola, in colato diſſolue caſſiæ fiſtulæ purgatæ vnc. quatuor, thamar Indorum vnc. quinque, mannæ vnc. duas, frica manibus, iterum cola, colato adde ſacchari lib. vnam & dimidiam,

diam, scammonij vnc. vnam & dimidiam, coque ad mellis crassitudinem, tunc paulatim pulverem hunc insperge. Myrobolanorum flauarum, cepularum, Indarum ana vnc. dimidiam, bellericarum, emblicarum, rha barbari, seminis fumariæ ana drach. tres, seminis anisi, spicæ nardi, ana drach. duas.

Polypodium, senna, myrobalani, anisum crassiusculè terãtur, agaricus raptim minuatur: colocynthis, rosæ, thymus, epithymus, absinthiũ, minutè forficibus incidantur, rha barbarum cultello, vel forcipe in taleolas: pruna, vuæ intus purgentur: violæ integræ, agaricus, rha barbarũ, colocynthis cum cæteris, quinque dies macerentur succo fumariæ, residentia, & insolatu etiam post vnã feruefactionem purgato, & sero lactis colato quantũ omnia tegat, vt libris tribus, sed agaricum, & colocynthidem nodulo ligare pręstiterit. Sexto die id totum leuiter coquatur, coletur mediocriter exprimendo. (Fortis enim expressio ex materia illa macerando & coquendo velut putrefacta terreum quoque extrahet.) Colati portione idonea dissolutam cassiam & thamar Indos, alia portiuncula mannam cocto ex reliqua colati parte syrupo, cũ sacchari lib. vna & dimidia misce, minimum coque:

his enim coctio longior, aut vehementior vires adimit. quapropter ne omnino coquantur, quidam sine humore purgatam cassiam, & thamar Indos percocto & tepenti syrupo miscent, quo scilicet tempore adduntur pulueres aliorum & scammonium coctum. Serum sit lactis caprini recens mulcti, & in rem præsentem coagulati immisso semine cardui beatę Mariæ confracto. Eius seri lib. sex semel feruefiant, albuminibus duobus purgẽtur: vbi refrixerint, colentur: aut si celerandum est, ter colabis etiam calidum. Capræ autem nigræ, & excornis serum hic quidam expetunt, vt lac practici ad calculum frangendum.

Ant. benedicta Nicolai recipit turbith electi, sacchari ana drachm. decem, scammonij cocti, hermodactylorum, rosarum ana drachm. quinque, caryophyllorum, spicæ nardi, Zingiberis, croci, saxifragiæ, macropiperis, amomi, cardamomi, seminis apij, salis gemmæ, galangæ, macis, cari, fœniculi, sem. asparagi, rusci, lithospermi ana drach. vnam, mellis quantum sufficit.

Turbith, scammonium, hermodactylos trita negligentius, vt purgent magis: reliqua tenuius, vt in corpus magis ferantur, ex triturę disciplina rectè quidam volunt.

volunt. Turbith, esulæ, sacchari ana drac. decem, scammonij, drach. quinque, quædam exemplaria habent, cum esula in Nicolao Alexandrino taceatur. in eodem scribitur turbith sacchariqúe ana drach. viginti, scammonij drach. decem, sed reliquorum omnium ana drach. duæ, quæ pondera omnia dimidio diminuit Nicolaus Salernitanus. sunt qui etiam scammonij drach. duas, alij drach. duas & semissem miscent.

Hiera picra, id est, sacra amara Galeni, recipit cinamomi, mastiches, asari, spicæ nardi, xylobalsami, croci ana drach. sex, aloes drac. centum, mellis quantum sufficit.

Sic Galenus Romæ componi solitam suo tempore scribit: & aloën, nunc lotam, nunc illotam, nunc largiorem, nunc parciorem miscendam pro variis medicorum scopis: & croci sufficere drachm. quinque. Plura de hac antidoto leges in Mesue.

Ant. hiera diacolocynthidos Pacty recipit Scribo-
fœchados, marrubij, chamædryos, agarici, colo- nius lar-
cynthidos ana drach. decẽ, opopanacis, sagapeni, gus.
petroselini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi a-
na drac. quinque, cinamomi, spicæ nardi, myr-
rhæ, polij, croci, ana drac. quatuor. Opopanax
& sagapenum mortario terantur adiecto melle

tenuis

tenui, id est quàm liquidissimo: trita cætera & cribrata melle ad comprehendendum sufficienti excipiantur.

Quæ ad hanc hieram hodie celebrari cœptam magno mortalium commodo pertinent, fusissimè in Mesue docuimus. Si puluerem & siccam hierã cupis, liquores fractos purgatos aliis particulatim iniectos, cum his puluerantur. Si autem vis electarium molle, liquidissimo melle dissoluti colantur.

Ant. Philonis recipit piperis albi, hyoscyami albi ana drach. viginti, opij drach. decem, croci drachm. quinque, spicæ, pyrethri, castorij ana drachmam vnam, mellis despumati quadruplo omnium excipe. Addunt aliqui moschi scriptulum vnum.

De philonio Romano & Persico lege Mesuen, mihi satis est hæc v eterũ descriptio. In hac antidoto puluueris vnciæ tres, mellis lib. singulis miscentur, vt in aliis plurimis, à Philone Iudæo philosopho Platonico doctissimo, vt scribit Nicolaus Alexandrinus dicta.

Ant. de baccis lauri Rasi recipit foliorum rutæ siccorum drach. decem, seminis amecs, cumini, melanthij, ligustici, origani, cari, dauci, amygdalarum amararum, piperis nigri & longi, menta

mentastri, acori, baccarum lauri, castorij ana drachm. duas, opopanacis drachm. tres, sagapeni drachm. quatuor, mellis cocti pondus omnium, tritis terendis fac electarium molle.

Hoc electarium pilularum consistentiam habebit ex tam pauco melle, nisi sagapenum & opopanax alio melle liquidissimo dissoluantur & colētur, vt in hiera diacolocynthidos. Hodie mel pulueribus quadruplum miscent, sed puluerum nomine opopanacem & sagapenum nō censent, sic est gratius, sed imbecillius. *Diacarthami.*

E. diacnicum Arnaldi villanouani recipit pul. E. diatragacanthi frigidi vnc. semissem, carnium cydoniorum vnc. vnam, medullæ cnici, hermodactylorum ana drach. quatuor, Zingiberis albi drachmas duas, scammonij cocti drachmas tres, turbith albi drachm. sex, mannæ granatæ drach. duas, mellis rosati colati vnc. vnā, sacchari vnc. octo. cum saccharo sufficienti fiat electarium.

Caro cydoniorū siue cydonia in partes 4. plures, pauciores diuisa, & vt sunt integra saccharo condita terantur, & per stamē colentur. cuius loco si cum nostratibus cydoniatum capias in drach. eius duabus, vna erit sacchari, aut mellis drac. vel etiam largius. Tunc verò id vt manna

melle

melle rosato soluta colatur per stamẽ, semen cnici excorticatum, vel inciditur, vel cum saccharo teritur, & pulueri turbith, hermodactylorum & zingib. simul tritorum miscetur, scammoniũ verò per se. Vbi saccharum paulò vltra quàm electario conuenit est coctum, (quia liquida mox addenda ipsum vt sic dicam recrudabunt) adde cydonium, mannam, mel rosatum simul trita & colata. Sunt qui pul. diatragacanthi omittunt, & cydoniatum cum melle subactum immittunt in sacchari lib. vnam percoctam cũ aquę vnciis 4. vel sex, si impurius est saccharũ, & ob id despumandum, postea pulueres reliquos. Alij aliter.

Elec. de succo rosarum Nicolai recipit sacchari, succi rosarum rubrarum perfectarum ana lib. vnam, vncias quatuor: santalorum alborum & rubrorum & citreorum, ana drachmas sex, spodij drachm. tres, scammonij cocti drach. duodecim, caphuræ script. vnum, ad excipiendum. succus cum saccharo in syrupum percoquatur.

Cui misce santala & spodium pulueratа, postremò scammonium & caphuram, vtrunque per se tritum.

Cum Mesuæ sit solenne vnciis singulis

lis compositionem scammoniatarũ dare scammonij cocti circiter scriptulum vnũ, hic Nicolaus dat propemodum scriptula duo, ob id rectè quibusdam videntur scãmonij drach. octo, huic composita sufficere: tamen etiam drach. duodecim scribit Nicolaus Alexandrinus cap. 309. lib. de compositione medicamentorum secundum locos, ex quo Nicolaus Salernitanus & alter Nicolaus præpositus sua descripserunt. Succo pauciori commodius fieret. Alij etiam componunt E. rosatum cholagogum Mesuæ.

E. diarhodon abbatis Nicolai recipit, santali, albi & rubri ana drachmas duas & semissem: tragacanthi, gummi arabici, spodij ana scriptula duo: asari, mastiches, spicæ nardi, cardamomi, succi glycyrrhizæ, croci, xyloaloes, caryophyllorum, galliæ moschatæ, anisi, marathri, cinamomi, rha barbari, seminis basilici, oxyacanthes, cichorij, portulacæ, cucurbitæ, cucumeris, melonis, citreoli, ana scriptulum vnum: margaritarum, ossis à corde cerui ana scriptulum dimidium: sacchari candefacti, rosarum ana vnciam vnam, drach. tres, camphoræ grana septem, moschi grana tria & dimidium, confice cum syrupo facto ex aqua rosarum.

Puluis huius vt aliorum vitrea pyxide oper

operculata seruatur, & vtendi tempore excipitur syrupo rosato percocto. Vel sac chari delecti lib. vna dissoluitur, lib. dimidia aquæ ex rosis albis recentibus destillatæ, vel rosarum siccarum decocti, vel succi rosarũ rubrarum recentium, & coquitur ad iustam crassitiem.

Vbi refrigerando iam multum concreuit, pulueris prædicti drach. sex iniiciuntur, rarò plures: & curiosè pistillo ligneo, vt prædixi, miscentur: semina quia citò rancescunt & cætera corrumpunt, misce tantum vtendi tempore. Moschum plerisq; abominabilem, & cephalalgicum, ne misce, vti neque caphuram, nisi doctus est medicus qui imperet.

E. aromaticum rosatum Gabrielis apud Mesuem recipit rosarum rub. drachm. quatuordecim, glycyrrhizæ rasæ drachmas septem, ligni aloes, santali flaui ana drachm. tres, cinamomi drachmas quinque, macis, caryophyllorum ana drachm. duas & semissem: gummi Arabici, tragacanthi ana drachmas duas, & partes duas drachmæ vnius: nucis moschatæ, cardamomi maioris, galangæ ana drach. vnam: spicæ nardi, ambræ cineritiæ ana script. duo: moschi scriptulum vnum, syrupi rosati quantum sufficit.

E. diamargariton frigidum recipit santalo-

rum

rum omnium, florum violarum, seminis melonum excorticati, trochiscorum diarhodon ana drach. duas: serici crudi, ossis à corde cerui, spodij, doronici Romani, been albi & rubri, spicæ nardi, croci ana scriptula duo, margaritarum integrarum & pertusarum, rasuræ eboris, saphyrorum, hyacinthorum, smaragdorum, iaspidum viridium, ligni aloes, seminis intybi & oxalidis, ambræ cineritiæ ana drach. semissem, auri optimi drach. vnam, caphuræ scriptulum vnum, moschi grana duo.

Aliter Nicolao, aliter aliis, sed hoc nobis est in vsu frequentiore.

E. diatrion santalon Nicolai recipit, santali albi rubri, flaui, rosarum, psyllij ana solidos duos, rha barbari, spodij, succi glycyrrhizæ, seminis portulacæ, ana solidum vnum & dimidium, amyli, gummi Arabici, tragacanthi, seminis melonis, citreoli, cucumeris, cucurbitæ, cichorij domestici ana solidum vnum, caphuræ scriptulum vnum & dimidium, syrupi rosati quantum sufficit, alij pondus rosarum quadruplum miscent.

Dimidium est descriptionis Nicolai Alexandrini, nisi quod saccharum habet pro psyllio, & cicho rij domestici non meminit. loco syrupi, fit cũ saccharo in aqua

communi aut rosata soluto.

E. Diatragacanthon frigidum Nicolai recipit, tragacanthi albi vnc. duas, gummi arabici vnc. ½ vnam, drachmas duas: amyli vnc. vnam, penidiorum vncias tres, glycyrrhizæ, seminum melonis, cucurbitæ, cucumeris, citreoli ana drachmas duas, caphuræ scriptuli semissem, syrupi violati, aut iulepi violati quantum sufficit.

Saccharo aqua communi, vel rosata soluto excipitur hodie.

E. Diatrus simplex Mesuæ recipit radicis iridis vnc semissem sacchari candefacti, E. diatragacanthi frigidi ana drachmas duas.

Saccharum aliud aqua rosarum soluitur ad hæc comprehendenda, libræ autẽ vni sacchari vnciam pulueris vnam capienti dum refrigeratur, si albumen ouì vnius, vel potius succi limonũ vnc. duas, fortiter & diu misceas, vtrunque hoc electarium euadet longè albissimũ. Sacchari vnc. vna, aqua rosarum soluta, cũ margaritarum pul. tenuissimi drach. vna, fit manus Christi perlata vulgo dicta.

SECTIO SEXTA
de Pilulis.

MEDICAMENTVM cur forma pillularum fingatur interdum, abunde diximus in Mesue, initio sectionis sextæ: hoc

hoc autem loco dicēda sunt quæ ad modum pilulas seu potius pilularum offas & magdalias componendi pertinent. Vt electaria humore aliquo egebant comprehendi, præsertim mollia, sic & pilulæ, & trochisci. Is autem est magna parte mel despumatum vel rosatū, syrupus rosatus vel similis, interdum muccago tragacanthi, ita vt omnino sit glutinosum, quod pilulas debet comprehendere, vt melius velut in mazam misceātur, & mista cohęreant, ac ne simplicium facultas promptè exhalet, si offa siccitate interhiet, sed intus probè concluſa melius fermētetur. Ob eam causam quas pilularum species aqua, aut succo vult comprehēdi Mesues aut Nicolaus, hodie nos excipimus melle, in quo succus hic ad sui consumptionem sit percoctus. Quod succo comprehensæ non cohærent, sed hordeacei aut furfuracei panis modo promptè friantur, mox siccātur, & canescunt situmq; ducūt putredinis indicem & autorem. Ob eam rem videtur Nicolaus pilulas sine quibus fœniculi succo exceptas manibus oleo rosato, aut communi inūctis formare, & nos alutam, aut pergamenam offę involuendę debitam oleo quoque oblinimus.

Si tamen in vsum præsentem fiant pi-

lulæ, possunt succo excipi, quod in multis videtur scriptores innuisse, dum ciceris scilicet orobei, aut orobi, aut piperis magnitudine pilulas formandas imperant. Est tamen quando succi emplasticam efficiunt materiam, quando scilicet his emplastica alia soluuntur, vt aloë, scammonium, sagapenum, ammoniacũ, gummi arabicum, tragacantha. Tunc etiam pilularum massam rectè comprehenderint. Omnia in pilulis crassius terenda quàm in electariis, nisi quod vtrobique lapides pretiosi, & congeneria tenuissimè sunt puluerãda, & colocynthis, ne partes quas permeat vlceret.

Quę verò lachrymę, siue liquores sint, siue gummi, siue resinæ, si sunt adhuc molliculæ, pistillo calido, in mortario calido terentur & puluerabuntur, aut humore idoneo dissoluentur, vt alia capiãt. De succis recentibus iam diximus, de siccatis seu sapis idem iudicium quod de lachrymis: interdum tamen prædictæ lachrymæ, si puræ sunt, pistillo calido in mortario calido, humore pauco superdato subiguntur, fiúntque idoneæ pulueribus aliis comprehendendis, vt in pilulis fœtidis, sagapeni & similibus. Si autem sint impuræ, dissoluuntur humore quæsito.

sito, colantur, coquuntur ad humoris cõsumptionem, pulueres tunc adduntur, & permiscentur.

Magdalia, seu offa, seu massa inuoluitur, vbi siccata est quantum satis est, aluta alba, potius quàm rubra, vt vires illas infectricum materiarum pillulæ in se non trahant, aut pergamena, sed vtraq; oleo rosato, aut communi est antè subigenda, vt massam diu mollem seruet, & transpirare vires eius prohibeat, obstructis oleo emplastico poris: non tamen ita quin humiditas, si qua adhuc supersit excrementosa digeratur. In vsum autem non veniãt pillulæ si potes, nisi iam fermentatæ, non tamen vetustate exuccæ, & exanimatæ: sed nec ita molles, vt in ore diffluant, sed cõsistentia mediocri fiant, aut plures, pauciores, maiores, minores pro eius qui sumit natura, & aliis medici scopis. Si autem deuorare nequit, minimæ fiant, & syrupo aliquo inuolutę cochleari aliquo simul denorentur. Alij ne ingratũ earum saporem percipiant, syrupo remollitas saccharo tegũt, alij foliis auri æquius quàm nõnulli membrana prunorũ, aut vuarũ, aut cerato liquido. Nam carne prunorum, aut pomorum coctorum inuolui nõ magis prohibeo, quàm pane missali

in vinum merſo. Os quoque ante & poſt ablui poteſt vino, aqua, alio, vt lingua hoc imbuta ſaporem tetrum non ſentiat: & ſi quid ei hæſerit, tergeatur. poteſt etiã vini loco pomi buccellam mandere & ſuccum deglutire, aut aliud aliquid iucundũ præſertim aſtringens. Sunt quoq; qui os vino vel alio implent, & pilulam ori immittunt cum vino illo deuorandũ, idque toties repetunt, donec omnes deuorarint, quod ad celeriorem pilularum actionem facit, non ad diuturniorem, & ventriculum lædi pilularum præſertim durarum contactu vetat, & quibus friget ventriculus confert, vt quibus is aut hepar inſigniter calet, cum ptiſſana, vel humore alio deuorari poſſunt, manus etiã ligare, & eas ac nares aceto, aut frigida, aut oxycrato madefacere eſt vtile. Quæ præcepta ſunt communia etiam his qui medicamenta alia quauis forma ſumpſerint, quando vomitus eorum timetur. Et præter hæc alia multa doctè à Meſue deſcripta libro primo.

Pilulæ aureæ Nicolai recipiunt aloes, ſcammonij cocti ana drach. quinque, roſarum, ſeminis apij ana drachmas duas & ſemiſſem, aniſi, fœniculi, maſtiches ana drachm. vnam & ſemiſſem, croci, pulpæ colocynthidos ana drachmam

mam vnam, cum aqua infusionis tragacanthi fac massam.

Tragacanthi drachma vna, aquæ vnciis duabus maceretur ad dissolutionem. super cineres calidos coletur panno raro: hac muccagine paulatim affusa comprehende pulueres. hodie tamen syrupo vel melle rosato comprehendunt omissa tragacantha, neque mea sententia infœliciter, aloë, scammonium, colocynthis, mastiche seorsum, quo sæpe dixi modo terentur: simul autem semina, rosæ, crocus, ambo hęc prius minutim concisa dimidium est compositionis Nicolai Alexandrini, in quo etiam mastiche non scribitur.

Pillulæ coccię Rasis & Mesuæ recipiunt, pulueris hierę picrę Galeni drach. decem, colocynthidis drachmas tres, & scriptulum vnum, scammonij drach. duas & semissem, turbith, stœchados ana drach. quinque.

Syrupo vel melle rosato excipe, turbith & stœchas simul teruntur, cernātur. Nam stœchas ægrè teritur, licet florulenta sit, nisi inter papyros siccetur antè, quomodo etiam vis eius facilè exhalat. *Pillul. Gal. ex*

Alij ex Nicolao Galeni coccia sic parant, aloes, absinthij, colocynthidos, scammonij ana 1. *c. ph. partem vnam, mastiches partem dimidiam, p.* *aloe li.*

cum succo fœniculi, vel absinthij, vel solani, forma massam.

Nicolaus Alexandrinus Galeni non meminit,& vocat pillulas diacolocynthidos,hísque miscet aloës,scammonij cocti ana drachmas quatuor, colocynthidos, mastiches ana drachmas duas, bdellij drachmam vnam cum succo absinthij fac orobea catapotia.

Pillulæ sine quibus esse nolo apud Nicolaum recipiunt, aloës lotæ drachmas quatuordecim, myrobalanorum, flauarum, cepularum, bellericarum, emblicarum, Indarum, rha barbari, mastiches, absinthij, rosarum, violarum, sennæ, agarici, cassuthæ, ana drachmam vnam. Temperentur scammonij bene triti & puluerati drach. sex & dimidia, succo fœniculi, quantus scammonio per pannum colando, & pulueribus aliis ad pillulas comprehendendas sufficere videbitur, quæ manibus vnctis oleo violato vel communi, sed arte dicta luto formentur.

Senna,myrobalani, absinthium,rosæ, violæ,cassutha simul:rha barbarum,aloë, scammoniũ mastiche per se puluerentur, licet autem succo fœniculi purgato parua coctione & residentia,in quo dissolutum sit scammonium comprehendi possint, tamen ferè scammonium per se tritum & cretum aliis puluеribus miscent, omnésque

néſque ſimul miſtos excipiunt melle, cum quo ſuccus fœniculi coquendo ſit conſumptus:

Pillulæ rha barbari Meſuæ, recipiunt rha barbari drachmas tres, ſucci glycyrrhizæ, ſucci abſinthij, maſtiches ana drachmam vnam, myrobalanorum flauarum drachmas duas & ſemiſſem, ſeminis apij, fœniculi ana drachmam ſemiſſem, trochiſcorum diarhodon drachmas tres & ſemiſſem, hieræ picræ drachmas decem, forma cum aqua fœniculi.

Succus fœniculi, hîc vt in aliis cũ melle coquendo eſt conſumendus, myrobalani, ſucci conciſi ſimul terenda, rha barbarum, maſtiche, trochiſci per ſe.

Pillulæ aromaticæ Meſuæ recipiunt cinamomi, cubebæ, ligni aloës, calami aromatici, macis, nucis moſchatæ, cardamomi, caryophyllorum, aſari, maſtiches ſchœnuanthi, ſpicæ, carpobalſami ana vnciam vnam, abſinthij ſicci, roſarum ana drachmas quinq;, trita craſſius coque ex aquæ libris duodecim ad partium duarum conſumptionem, frica, cola, exprime. Expreſſi huius libris duabus macera libram vnam aloës, prius aqua pluuia ſæpe lotam & ſiccatam tribula, ſicca. Illi miſce myrrhæ, maſtiches ana drach. quinque, croci drachmas tres. omnia macera, reliquo expreſſo, tribula, ſicca.

Siccatur aloë primùm in vmbra, p òſt

in sole Mesuæ cap. de aloë. Hæc verò omnia, vel seorsum quassanda, vel dura crassa cum duris crassis, mollia tenuia cum mollibus tenuibus, postea in aquam mittenda omnia hæc tantùm confracta, vt promptius aqua permeet, & vires ipsorum in se trahat, macerantur, igni lento coquuntur ex aquæ libris octo ad dimidias (nam tam larga aqua longam postulat coctionem, quæ his aromatibus vires aut minuit, aut adimit) reliquarum quatuor librarũ dimidium aloë primùm per se ebibet, prius tamen aqua fontana lota & siccata, reliquum dimidium cum puluere tenuissimo myrrhæ, mastiches, croci semel, aut potius paulatim combibet eadem aloë, & priusquam siccetur, massa fingatur, æstate potius fiant, quàm parte anni alia, vt prõptius siccetur aloë.

*Pillulæ lucis maiores Mesuæ, recipiunt rosarum, violarum, absinthij, turbith, colocynthidos, cubebarum, calami aromatici, nucis moschatæ, spicæ, epithymi, carpobalsami, xylobalsami, schœnuanthi, mastices, asari, caryophyllorum, cinamomi, cassiæ, croci, seminis rutæ, anisi, apij, fœniculi ana drachmas duas: myrobalanorum quinque, rhabarbari ana drachmas quatuor: agarici, sennæ ana drach. quinque, * euphrasiæ drachmas septem, aloes bonæ*

* Surculi cum oribus eccati.

pondus

pondus omnium, excipe succo fœniculi.

Colocynthis, agaricus, aloë, mastiche per se terantur: cætera simul misce omnia, & comprehende melle cocto, cum succo fœniculi ad ipsius consumptionem, seu donec mel valde glutinosum euaserit.

*Pillulæ fœtidæ maiores Mesuæ recipiunt sagapeni, ammoniaci, opopanacis, bdellij, colocynthidos, * rutæ agrestis, aloes, epithymi, ana drachmas quinque: hermodactylorum, esulæ ana drachmas duas, scammonij drachmas tres, cinamomi, spicæ, croci, castorij aná drachmam vnam: turbith drachmas quatuor, Zingiberis drachmam vnam & semissem, euphorbij drachmæ vnius partes duas, dissolue lachrymas succo porri, & colato comprehende omnia.*

* *Eius penuria hortensem substituimus siccam.*

Liquores quatuor primi succo porri calfacto dissoluti & colati, coquuntur ad consumptionem multi succi, deinde cætera mista comprehendũt. Scammonium tamen & euphorbiũ liquores per se puluerantur, nisi recentia sunt, & mollia: talia enim etiam dissolui possunt.

Pillulæ de hermodactylis maiores, recipiunt hermodactylorum, aloes, turbith, colocynthidos, myrobalanorum flauarum, bdellij mollis, sagapeni ana drachmas sex, opopanacis, euphorbij, sar

sarcocollæ, castorij, rutæ agrestis, apij anadrachmas tres, croci drachmas duas & semissem, comprehende succo braßicæ.

Melle cui incoctus sit hic succus excipiuntur omnia hæc puluerata : nam etiam puluerari possunt hi liquores pauci & sicciores cum multis siccis : vel potius vt prius, liquores hi succo brassicæ calfacto soluti, colati, recocti omnia alia comprehendant.

* *Vulgaris cinamo.* * *Seminis in bacca eius rubra cõditi.*

*Pillulæ arthriticæ Nicolao recipiunt hermodactylorum, turbith, agarici ana drachmas quatuor, * cassiæ lignea, spicæ, caryophyllorum, xylobalsami, carpobalsami, Zingiberis, mastiches, fæniculi, seminis lithospermi, * seminis asparagi, rusci, rosarum, salis gemmæ ana drach. semissem, aloës pondus omnium, comprehende succo fæniculi.*

Succus in melle coquendo consumitur, quo melle vires succi adepto cætera excipiuntur, pillulas ex semine cucumeris agrestis, & Alexandrinas podagricis & arthriticis vtiles scribit Nicolaus Alexandrinus, hanc verò descriptionem non habet.

Pillulæ fumariæ Auicennæ recipiunt myrobalanorum flauarum, cepularum, nigrarum, scammonij ana drachmas quinque, aloës drachmas septem, omnia ter imbuantur succo fu-

mar

mariæ, & toties siccentur, postremò fac massam.

Imbui debent succo fumariæ, non excipi, sed melle cui succus hic incoctus fuerit, multò facilius ob myrobalanorum siccitatem, sole siccantur quàm aromaticæ.

Pilulæ assaieret Auicennæ recipiunt pulueris hieræ picræ vnciam vnam, mastiches, myrobalanorum citrearum ana vnciam semissem, aloës vncias duas. cum syrupo stœchados forma offam.

Hic syrupus vt cæteri ob lentorem idoneus est his pulueribus comprehendendis, & seruandis à situ ac putredine.

Pillulæ ex agarico Mesuæ recipiunt agarici drachmas tres, radicis ireos, praßij, myrrhæ, ana drachmam vnam, turbith drachmas quinque, hieræ picræ drachmas quatuor, colocynthidos, sarcocollæ ana drachmas duas, excipe sapa. *Irin Illyrica aut florẽtina.*

Vinum ad dimidias aut tertias coctum, id est sapa crassitie & lentore est idoneũ his comprehendendis, & à putredine ac transpiratione in aërem vindicandis.

Pillulæ ex hiera recipiunt, pulueris hieræ picræ Galeni vnciam vnam. cum melle rosato, fac massam.

Similiter ex omnibus hieris & antidotis

tis aliis fieri possunt massę pillularum, sed melle opus est tanto parciore ad pillulas quàm ad electaria, quanto pillulas electariis esse oportet duriores.

Pillulæ mastichinæ conciliatoris recipiunt mastiches drachmas quatuor, aloes drachmas decem, agarici drachmas tres, cum succo arthemisiæ finge massam.

Hæc tria seorsum trita mastiche, si vis cum pauca aqua dulci, melle excipiũtur, cui succum arthemisiæ incoxeris.

Pil. ante cibũ. *Pillulæ stomachicæ Mesuæ recipiunt aloes drachmas sex, mastiches, rosarum ana drachmas duas, syrupo rosato excipe.*

Aloe æstate, & statu pestilenti lauanda. *Pillulæ rufæ, seu communes recipiunt croci, myrrhæ ana vnciam vnam, aloes vncias duas, comprehende vino aromatico.*

Pillulæ bechicæ Mesuæ recipiunt succi glycyrrhizæ, sacchari ana aureos sex, amyli, tragacanthi, amygdalarum dulcium ana aureos quatuor, comprehende muccagine seminis psyllij, aut cydoniorum.

Possunt comprehendi muccagine tragacanthi, vt sequentes.

Pillulæ albæ fiunt ex sacchari libra vna, in vncia muccaginis tragacanthi soluta, & diu tribulata.

SECT

SECTIO SEPTIMA DE trochiſcis.

QVid trochiſcus,& cur hoc nomine, & aliis appellatus,abũdè nobis dictum eſt ſectione ſeptima Meſuæ. Horũ autem vel compoſitio hîc fieri nõ poteſt, vt trochiſcorum theriacorum,vel vſus intercidit,vt iam pauciſſimi ſint in officinis compoſiti .Quia verò componẽdi rationem habent pillulis finitimam (in ambobus enim pulueres humore aliquo excipiuntur) longo ſermone mihi egere non videntur.Ob id paucis eos perſtringam, qui adhuc ſunt vſui quotidiano , quibus verò aliorum erit neceſſitas , Meſuen & Nicolaum Alexandrinum conſulant.

Trochiſci de gallia moſchata Meſuæ recipiũt ligni aloes crudi partes quinque , ambræ partes tres , moſchi partem vnam, glutini, tragacanthi,cum aqua roſata extracti, quantitatem illam comprehendere ſufficientem : fiant trochiſci magnitudine foliorum myrti , ſigillentur, reponantur in vaſe vitreo.alij ambram oleo balanino in vaſe vitreo ſoluunt, & hoc oleo cætera comprehendunt.

Trochiſci de gallia moſchata Nicolai Alexãdrini recipiunt maſtiches vncias duas , gummi vnciam vnam,capburæ ſcriptulum vnum:trita molliſsimè , cum aqua roſarum formentur in trochi

De bendũ & muſtelinũ vocant.

trochiſcos, in vmbra ſiccentur, terantur ſubtiliſſimè. oleo iaſmino, ſambaceum vocant, incoquantur, adde cinamomi, caryopyllorum, nucis moſchatæ, ana ſemunciam. fac trochiſcos, illine moſcho aqua roſarum ſoluto.

Malè in Nicolao, olei ſambucini vncię quatuor, & malè coquit ad dimidias. hodie maſtiche trita ſuper cineres calidos ex olei drach. vna ſoluitur, pul. gūmi, & caphurę additur affuſa pauca aqua roſarū.

Nicolai Alexandrini.

Trochiſci aliptæ moſchatæ, recipiunt ladani puriſſimi vnc. tres, ſtyracis calamitæ vnciam vnam & ſemiſſem, ſtyracis rubri vnciam vnam, ligni aloes drachmas duas, ambræ drachmam vnam, caphuræ ſcriptulum vnum & dimidium, moſchi ſcriptulum dimidium, aquæ roſarum quantum ſufficit.

Ladanum per ſe negligentius & craſſius teratur, ſtyrax vterque ſimul parum teratur, & per cribrum rarum cernendo purgetur: deinde tria hæc catino impoſita ſole æſtiuo vel ſine hoc vaſe duplici liquētur potius quàm mortarij, aut piſtilli caliditate vehementi: mox vt liquata ſunt piſtillo in mortario, ſole vel igni probè ſiccatis, diu tunduntur addendo paulatim puluerem ligni aloës. In mortario alio tere amygdalas aliquot oleoſas, eáſque vbi mortariū, & piſtillum illeuerint abii-

ce:

ce:ibi tere primùm ambram, deinde caphuram,& moſchum aqua roſarum pauca affuſa,miſce reliquis,& forma trochiſcos.Hęc parandi ratio propè tota ex eodem Nicolao eſt ſumpta.

Trochiſci de myrrha Nicolai recipiunt myrrhæ, foliorum rutæ, mentaſtri, pulegÿ ceruini, rubiæ, opi Parthici,ſagapeni,opopanacis,ana drachmas tres, lupinorum pertritorum drach. quinque.fiant trochiſci cum ſucco rutæ ponderis drach.duarum.*

* aſſa fœtida.

Trochiſci de agarico Meſ. recipiunt agaricum electum pulueratum,qui cum vino cui infuſum ſit Zingiber formatur in trochiſcos.

Trochiſci de ſpodio recipiunt ſpodÿ drach. quatuor, roſarum rubrarum drach. ſeptem, ſeminis portulacæ, ſucci glycyrrhizæ ana drach. duas, muccagine ſeminis pſyllÿ comprehende in trochiſcos drach. vnius.

Spodium arabũ ſit verũ nõ ebur vſtũ, ne autẽ accipe ſpodium Græcorum,rem furnacariã pomoholygi affinẽ, nunquã ſumendam, ſed ſolùm admouendam.

*Trochiſci de terra ſigillata Meſ. recipiunt ſanguinis draconis,gummi Arabici aſſi, *ramich,roſarum,ſeminis roſarum,amyli aſſi, ſpodÿ,acaciæ,hypociſthidos,balauſtÿ, boli armeniæ, terræ ſigillatæ,id eſt,ſigilli Lemnÿ, corallÿ, vnionum, ſuccini, tragacanthi, papaueris*

* in troc. Meſ.

nigri ana drach. tres. & semissem, sem. portulacæ assi, cornu cerui vsti, thuris, nucum cypressi, ana drach. duas. cum aqua arnogolossi fac trochiscos.

Diaele ctra seu diacarabe.

Trochisci de succino Mesuæ recipiunt succini aureos sex, cornu cerui vsti, gummi Arabici assi, corallij vsti, tragacanthæ, acaciæ, hypocisthidos, balaustij, mastiches, cancami loti, papaueris nigri assi ana aureos duos, thuris, croci, opij ana aureum vnum & semissem. fac trochiscos cum muccagine seminis psyllij.

SECTIO OCTAVA DE *pulueribus.*

PVlueres initio antidotorum nonnihil attigimus, vbi horum pulueres pyxidibus vitreis ferè seruari diximus, & interdum præsertim vtendi tempore in electaria solida formari. Sæpe etiam initio melle, vel alio excipi, seruari, coqui, ea suo calore natiuo, seu (vt cum vulgo dicam) fermentari. De pulueribus aliis si quid es solicitus, ex Mesue sectione octaua repete, tantum addam pulueres condimentis destinatos.

Pulvis minutarum specierum recipit zingiberis albi lib. vnam, piperis boni vnc. quatuor, nucis moschatæ vnc. duas, caryophyllorum, granorum paradisi ana

vnc.

vnc. vnam, cinamomi electi semunciam, fiat puluis.

Puluis albus recipit zingiberis albi & purgati lib. vnam. fiat puluis. Puluis eximius, finis vulgo dictus, recipit zingiberis albi selibram, granorum paradisi vnc. duas, tritis his simul misce croci drach. duas, & acetum paulatim affunde, vt croci colorem induat, diu & multum tunde simul omnia.

Libræ vni sacchari misce cinamomi vnciam vnam, habes puluerem ducis.

SECTIO NONA
de oleis.

OLei genere quatuor demonstrauimus in Mesue, quorum primum est oleum ex oliuis maturis, aut immaturis expressum, quod oleum absolutè dicitur, aut cum vulgo oleum commune. Alterum est quod ex seminibus oleaginis exprimitur. Tertium quod vi ignis tollitur aut descendit. Quartum quod oleo constat: sed cui plantarum partes ac animalium sunt incoctæ.

Primum genus tanquam cuiuis perspicuũ sciens omitto, reliqua tria persequar.

Oleum igitur amygdalarum dulcium fit ex amygdalis nõ depellatis, in mortario lapideo ptritis, in offas collectis, quæ *Secundum genus.*

calentis aquę vapore, in quo diu ſubigun tur manibus. vbi calēt, calatho ſpartaceo, aut ſacco cannabino calēti inuolutæ, tor culari calido exprimuntur in oleum clariſſimum & dulciſſimum. Aliter quoque fieri in Meſue docuimus.

Sic fit oleum ex amygdalis amaris, piſtaciis, ſtrobilis, nucibus auellanis, Indicis, balano myrepſica, nucleis perſicorum, ceraſorum, ſeminibus cucurbitæ, cucumeris, melonū, ricini, ſtaphidos agrię, cnici, cannabis, lini, papaueris, hyoſcyami, & cæteris oleaginis, quæ etiam per genus tertium extrahi poſſunt.

Meſ. *Oleum laurinum fit ex baccis lauri maturis, recentibus, tritis in pila, incoctis aquæ, & torcularis expreſſu.*

Sic ex baccis recentibus myrti, iuniperi, terebinthi, lentiſci fieri poteſt oleum ſimplex. In vſu autem frequentiore eſt compoſitum, de quo in quarto genere. Laurinum autem id ex Gallia Narbonenſi, vbi magnus eſt harum baccarum recentium prouentus, ad nos mittitur.

Tertiū genus. Meſ. *Oleum ouorum fit ex vitellis ouorum elixando duratis triginta aut circiter, qui manibus friati in ſartagine plumbata frigantur igni mediocri, mouendo cochleari donec rubeſcant, & oleum ab his reſoluatur & profluat.*

Alios

Alios huius olei modos lege in Mesue: alij sacculo & torculari exprimunt. *Mes.*

Oleum iuniperi fit segmentis ligni iuniperi, vase solido conclusis, incenso circa id igni luculento vt in vas subiectum descendat oleum.

Cætera ad hoc oleum pertinentia & ad alia, quæ eodem fiunt modo, ex Mesue repete, item qua ratione fiat oleum philosophorum, tartari, & alia eius generis permulta: quę, quia ibi fusius sunt explicata, neque multo vsu nũc celebrata, non putaui pluribus verbis explicanda.

Olea quarti generis ex plantarum, & animalium quorundam partibus, vbi harum vires macerando, & coquendo traxerunt, colantur, exprimuntúrque, & humor si quis in oleum largior transiit, coctione absumitur. Et quæ olea cum succis liquidis fiunt: aut siccis quidem vel liquoribus, sed humore vt vino solutis, ad humoris cõsumptionem percoquuntur, ne humor ille excrementosus oleo putrendi, & situm ducendi occasionem afferat. succi consumptionem indicat oleum spathula iniectum igni. nam si ardet, purum est: si crepitat, succum habet adhuc reliquum. Ad hæc feruendo in lebete crepitat cum succo, & bullas egerit: vbi absumptus, tranquillum est, & gutta *Quartum genus.*

in manu succum subiectum ostendit oleum supernatans.

Olea quibus flores miscentur æstiuo insolatu magis coquuntur, aut igni lento, aut vtroque.

Olea ex animalibus facienda viua ipsa recipiunt vt in his moriantur scorpiones, serpentes, ranæ, formicæ, vulpes.

Oleum rosatum Nicolao sic fit, Rosarum tritarum sesquilibra coquitur diu in olei loti libris duabus vase duplici, tela alba exprimatur & torculari.

Quartum genus olei per impressionem. Mes.

Hodie rosas recentes, etiam nõ exunguatas oleo omphacino aut loto, dies, aut etiam menses aliquot in sole macerant vase vitreo aut cilicco. Postea hyeme, aut vtendi tempore pauco succo rosarum aut vino adiecto coquunt in vase duplici, ne vrendo graueolentiam acquirat, sicque reponũt. Similiter ex floribus violarum, chamęmeli fit Mesuæ chamæmelinũ cum oleo dulci etiam in vase duplici coquendum, & ex floribus meliloti, anethi, liliorum, iridis, leucoij lutei, nymphææ: sed à liliis apices crocati tollendi.

Oleum cydoniorum. Mes.

Oleum melinum fit ex cydoniis acerbis tritis, in oleo omphacino sufficienti. insolatur dies quindecim, dein cum succo cydoniorum coctis in vase duplici ad horas circiter quatuor. Carnem & succum

succum muta, rursus insola, & coque vt dixi, idq; bis aut ter repete, cola, repone.

Cydonia sunt qui cortice & semine purgent, purgatione tamē nihil opus est, nisi impura sint aut semiputria.

Oleum mastichinum recipit olei rosati vnc. duodecim, mastiches vnc. tres, vini boni vnc. octo, coque ad vini consumptionem. Mes.

Fit hodie ex oleo vulgari, cum tamen aut rosato, aut omphacino, aut saltem loto cōfici debeat in vase duplici. Consumptóque propemodum vino mastiche pertrita paulatim affunditur cōtinenter mouendo, donec erit liquata & permista. Coctione longiore exanimatur.

Oleum myrtinum recipit myrtarum recentium selibram, olei omphacini, aut loti sesquilibram: insola, aut coque cum vini albi austeri vnciis quatuor ad vini consumptionem. Fit etiam per expressionem, & per decoctionem in aqua, donec oleum supernatet quod concha separandum est.

Oleum nardinum Mesuæ recipit spicæ nardi vncias tres, vini & aquæ ana vncias duas & dimidiam, olei sesamini selibram, coque in vase duplici lento igne horis circiter quatuor, sæpe mouendo.

Seu ad aquæ & vini consumptionem: sed prius infundatur spica aquæ & vino.

Fit etiam sæpe oleum nardinum descriptione Nicolai Alexandrini efficax, sed sumptuosum magis: à quo etiam componendi modus abundè explicatur.

Mes. * vnc. octo aut circiter.

*Oleum costinum recipit costi amari vnc. duas, casiæ vnciam vnam, extremitatum sampsuchi vnc. octo, vini odori quantum * sufficit. infunde hoc biduo, olei sesamini lib. duas, coque horis septem, seu ad vini consumptionem, exprime, repone.*

Aut costum verum, galanga maior hodie dictum, sumendum, aut eius loco radix enulæ campanæ, aut silphij, aut similis, potius quàm quæ vulgò est in officinis qualitatum insignium expers.

Oleum rutaceum fit ex foliis rutæ recentibus, oleo maceratis, & æstate tota insolatis, qua exacta coquitur, exprimitur, reponitur. sic fit oleum menthæ, absinthij.

Oleum euphorbij fit vt oleum mastichinum. Euphorbium enim tritum, aut si recens & molle est, minutim consectum oleo cum vino feruenti paulatim immittatur, & ad vini consumptionem semper mouendo coquatur.

Oleum castorij Nicolai fit ex castorij vnc. vna, cocta in olei lib. vna, ad consumptionem tertiæ partis, castoreum retinendo seruatur.

Coquitur etiam id oleum cum pauco vini, vt vnc. duabus. nam si per se coquatur, &

tur, & oleum vrendo nigrescit, & castorium vanescit. Potest tamen sine vino in sole coqui sæpe mouendo.

Oleum vulpinum Mesuæ sic fit, Vulpes integra tantum exenterata coquitur in aquæ fluuialis & marinæ aut salsæ, ana sextario vno, olei antiqui clari sextarius duobus & dimidio, coque ad aquæ consumptionem, & vulpis carnium dissolutionem, exprime & repone.

Oleum lumbricorum fit ex lumbricis in vino albo diligenter lotis, & oleo, & pauco vini rubri incoctis ad vini consumptionem: deinde colatur & exprimitur leuiter oleum, ac reponitur. Sunt qui tritos deinde lumbricos eidem oleo permiscent in vnguenti formam, nec inutiliter.

DE VNGVENTIS SECtio decima.

VNguentum, quia partibus inungitur dictum, crassius est oleo, liquidius cerato, vt ex vnguentis Galeni, & aliorũ constat. Huius materię sunt, plantarum partes, & multæ animalium, metallica etiam & terrea quædã. In his succi recentes, & fluidi coquendo absumuntur, vt in oleis, iidem si sunt sicci, aliquo sunt humore dissoluendi. *Paulus. c. 20. lib. 7.*

Si herbæ in vnguenta recipiantur, vel puluerantur si sunt siccæ, & aliis miscen-

tur, vt metallica & terrea, & alia plurima: vel humore aliquo, vt vino macerantur, etiam virides coquuntur, exprimuntur: deinde reliquis vinum id vel aliud incoquitur, ad sui consumptionem. Liquores sicci, & gũmi, & resinę, vel teruntur quando sunt sicciora: vel pistillo calido soluuntur, vel humore idoneo, quando præsertim sunt humidiora.

Fiunt autẽ vnguenta nunc igni, nunc sola subactione, sed longa, vt vnguẽtum ex lithargyro nutritum cum oleo, aceto, aliis, & quæ alia similiter nutriri diximus lib. 2. Sic argentum viuum citra ignem aliis miscetur, quod in vaporem promptè totum abeat.

Vnguẽtis, ceratis, emplastris, ęstate minus olei, ceræ, & similium corpus dãtium miscemus: hyeme plus: quòd huius frigiditate etiam liquidiora coquantur, & duriora appareant, æstate contrà etiam sicciora per colliquationem molleścant.

Cera cum oleo liquata igni aufertur, & refrigerando continẽter mouetur, vbi iã modicè coiuit pulueres paulatim permiscentur, idque ne fiat grumosum vnguentum. Alij vbi refrigerando coiuit in sartagine, cochleari aut spatha ferrea in bracteolas deradũt, in mortarium imponunt,

nunt,& adiectis paulatim pulueribus diu tribulant. Quod præceptum plurimis his vnguentis est commune.

Vnguentum aureum Mesuæ recipit ceræ flauæ vnc. sex, olei boni lib. duas & semissem, terebinthinæ vnc. duas, resinæ pineæ & colophoniæ ana vnc. vnam & semissem, thuris, mastiches, ana vnc. vnam, croci drach. vnam. Vng. regis.

Cera ex oleo liquata pulueratæ resinæ affunduntur, his liquatis terebinthina mox igni aufertur, vbi refrixit, puluis reliquorum adiicitur.

Vnguentum pompholygos spurium recipit olei rosati vnc. decem, ceræ albæ vnc. quinque, ceruse lotæ vnc. quatuor, plumbi vsti, pompholygos ana vnc. duas, thuris vnc. vnam. Coque oleum rosatum cum succo solani ad ipsius consumptionem, tunc adde ceram, deinde reliquorum puluerem tenuissimum misce in mortario, vbi refrixit, quo dixi modo.

Cerę vnc. duæ, aut vnc. duæ, & dimidia satis sunt vnguento. Hæc enim quantitas emplastrum fecerit, pompholyx vera misceatur non vt hodie cadmia.

Vnguentum basilicum minus Mesuæ recipit resinæ picis, ceræ, ana olei quantum sufficit.

Tetrapharmacum hoc Galeno & Paulo aliter fieri docuimus in Mesue. Cera

oleo liquata, pix & resina puluerata iniiciũtur, quibus liquatis igni aufer. Si verò crassius tritam picem immittas, quia tardius liquatur, ob id diutius ignem tolerat, & velut vritur, nigrúmque facit tunc vnguentum. Ceræ & resinæ vnc. dimidia, olei vnc. duæ, picis vnc. vna.

Vnguentum Aegyptiacum Mesuæ recipit æruginis aureos quinque, mellis aureos quatuordecim, aceti acerrimi aureos septem, coquenda igni ad iustam crassitiem.

Gal. li. c. ph. 9. Mel cum aceto primùm aliquãdiu coquitur, deinde additur ærugo & percoquitur. Iusta autẽ crassities ex notis prius dictis intelligitur, hoc est, si eius portio vasi stanneo, aut marmori imposita & refrigerata coëat, nec adhęreat. Aerugo coctione transmutatur in rubrũ, sicq; minus terret vnguentum ægros quàm viride.

*Vnguentum album Rasis recipit ceræ albæ vnc. vnam, cerusæ in aqua rosarum lotæ vnc. duas, *olei rosati vnc. quatuor. Sunt qui addũt paucum aceti, alij etiam vnc. vnam litharg yri, alij caphuræ drac. duas, alij duo albumina ouorum, omnes rectè pro vario medici scopo.*

* Vnc. vnam.

Hodie plæriq; addunt omnia hæc prętęr lithargyrum. Alij olei vnc. 12. cerusæ, ceræ albæ ana vnc. 4.

Vnguentum desiccatiuum rubrum nothum recipis

recipit cadmiæ lapidosæ, terræ sigillatæ, ana vnc.4.litharg yri auri, ceruſæ, ana vnc.tres, caphuræ drac.vnam, ceræ vnc.quinque, olei roſati & violati ana vncias ſex.

Præſtantius eſſet cum ſolo oleo roſato, & eo facto ex oleo omphacino, quia magis ſtringeret & ſiccaret.

Lithargyros cum oleis aliquandiu nutritur ſuper ignem, cera deinde liquatur in his, deinde reliquorum puluis tenuiſs. paulatim adiicitur.

Vnguentum enulatum ſpurium recipit radicis enulæ campanæ coctæ cum aceto, & tritæ, & cretæ libr.vnam, axungiæ porci, olei communis, ana vnc.tres, ceræ nouæ, argenti viui, ſaliua hominis ieiuni extincti, terebinthinæ lotæ ana vnc.duas, ſalis communis puluerati vnc.ſemiſſem.

Cera in oleo liquatur, axungia, deinde, poſt additur enulæ pulpa, deinde argentum viuum, & ſal, poſt id terebinthina. Sunt qui argenti viui loco ſalubrius miſcent ſulfur, alij vtrunque omittunt.

Vnguentum populeum Nicolai recipit oculorum populi lib.dimidiam, foliorum papaueris nigri, mandragoræ, hyoſcyami, ſolani, ſemperuiui parui & magni, lactucæ, perſonatæ, cotyledonis, violæ nigræ, ſummitatum rubi tenerrimarũ, ana vnc.tres, axungiæ porci ſine ſale lib.3.

A multis huic dupla aut trinis pla cõponitur.

In

In hac regione populi flores & herbæ in idem tẽpus non incidunt. Nam oculi populi Martio erumpũt, herbæ Iunio vigent: ob id oculos ipſos in mortario per ſe terimus, deinde cum dimidio axũgiæ porci purgatę (ſeuũ dulce vocamus) multũ diuq; tundimus, invaſe operculato recondimus hebdomadas 5. 6. menſes duos dum herbæ vigeant. Hæ inciſæ & per ſe piſtillo ligneo tritæ, quia ſimul ob lentorem, & multitudinẽ non poſſunt cũ oculis populi, & ſepo coquuntur, cernũtur omnia, & ſi opus eſt parum recoquuntur, reponũtur: vt tamen vireat magis, ſuperadde coctioni ſolani triti manipulos duos, nõ maleficorum more, æruginem.

Vnguentum tripharmacum Meſuæ recipit litharg yrum leuiſſimè tritũ in mortario ad iuſtam craſſitiem, tribulandum cum aceto & oleo viciſſim & paulatim affuſis: ſi verò coquis ad aceti conſumptionem, & litharg yri fuſionem, vt craſſeſcat magis, fiet emplaſtrum.

Vnguentum apoſtolorum *Auicẽnæ 5. can. recipit terebinthinæ, ceræ albæ, reſinæ, ammoniaci ana drachm. quatuordecim, æruginis, opopanacis ana drach. duas, ariſtolochiæ longæ, thuris maſculi, bdellÿ ana drach. ſex, myrrhæ, galbani ana drach. quatuor, litharg yri drach. nouem, bdellium ſi molle eſt, ammoniacum, opopanacem

* Dictum quia ſimplicibus 12 cõſtat, quot

panacem cum aceto macerabis nocte vna, postridie calefac, cola, iterum pende: & ponderi horum legitimo terebinthinam permisce, quæ tam bellè hæc, ac cætera comprehendet, vt vix sis erraturus: lithargyrum autem in oleo nutries aliquandiu sine igni friatum. Pòst igni trade: vbi calet, ceram immitte. Hæc liquata igni aufer, liquores, vt dixi, paratos misce: vbi refrixit, reliquorum puluerem paulatim adijce, & bdellij, si est siccius, quale nobis est adulterinum.

fuerunt apostoli Olei libræ sint æstate duæ, hyeme tres.

Rarum vsu, tamen ob componendi & miscendi magnam difficultatem sæpe ad operis specimen probandis seplasiariis parari imperatur.

Emplastrum apostolicum Nicolai Alexandrini ab hoc diuersissimum est, & cõstat simpl. viginti & vno.

Vnguentũ martiatum cum Hermolao, vel Martianum cum aliis, & de althæa, & Aregõ, & Agrippæ (quæ quatuor vulgus olea 4. calida vocat) quia rarò componuntur, omisi: ex Nicolao petenda si cõponendi necessitas inciderit: & vnguentum in gratiam comitis cuiusdã ad menses cohibendos scriptum, quia omnibus & solis astringentibus constat, vt emplastrum contra rupturam. si tamen componendi cupiditas tibi incesserit, aut etiam

neces-

necessitas, nobis scribitur in fine vnguẽtorum Mesuæ cum vnguento citreo, & aliis non paucis hodie obsoletis: quanquam & vnguentum citreũ etiam hodie quidam componunt, incerti tamen quid amentum dulce sit.

Nam sunt qui lapidem vitri (quam axũgiam vitri vulgò vocant) alij gypsum lucidum, alij aliud. Fortè autem corrupta vox ex amianto lapide, quo adulterant hodie alumen sciſsile illi aspectu simillimum, sed alumen vrit, amiãtus est dulcis. Eadem ambiguitate tenentur in antalli lapide, & in gersa serpentaria, quam vocem ex ceruſa, syncopen, corruptam esse est perspicuum. Est enim velut aut ceruſa, aut amylum (sic enim etiam quidam vocant) ex radice ari, vel dracũculi depellata, trita, siccata citra lotionem his aliis post lotionem cum aqua rosarum.

Cerote & cerelæon Græcis, nobis ceratum à cera dictum, medicamentum consistentia quodammodo mediũ inter vnguenta & emplastra.

Mesues. *Ceratum Galeni refrigerans recipit ceræ albæ per ablutionem vnciam vnam, olei rosati ex omphacino facti vncias quatuor, fiat ceratum in vase duplici, quod dum est refrigeratum, multum diúque ex aqua frigidissima, & postremò*

pauco

pauco aceto albo puro subigatur.

Non esse autem ceratum hoc aqua & aceto imbuendum nisi tempore vtendi, abunde ex Galen. in Mesue sectione vndecima docuimus. Postremò aqua rosarum imbuunt hodie, quod probo, sed diu seruari nolo, præsertim aëre calido, quia vires suas perdit, & graueolentiam acquirit.

Ceratum santalatum Mesuæ recipit ceræ albæ drach. triginta, olei rosati lib. vnam, rosarum drac. duodecim, santali rubri drach. decem, santali albi & flaui ana drac. 6. boli Armeniacæ drac. 7. spodij drach. 4. camphoræ drach. 2.

Refrigerato iam cerato & raso, pulue- *Spodiũ Arabũ non Græcorũ Calidum.*
rem in mortario miscent paulatim potius quàm inter refrigerandum, vt antè vnguenta dixi.

Ceratum Galeni stomachicum recipit vnguenti nardini optimi, ceræ odoræ & pinguis, & lotæ ana vnc. vnam, si hyems est: si verò æstas, ceræ drach. septem, liqua in vase duplici, refrigerato deinde & raso adde pulueris mollissimi aloes, & mastiches ana drach. vnam.

Succus omphacij aut absinthij quando addenda, in Mesue dixi. Hoc aliter Mesues componit ex Galen. sed mutatis aliquot simplicibus & ipsorum pondere. *Refrigerans.*

Ceratum Galeni stomachicum alterum reci-

pit olei melini, ceræ albæ lotæ ana vnciam vnã, hypocisthidos vnc. semissem, fiat ceratum.

Hæc duo cerata stomachica ex Galen. vsurpãda potius suaserim, quàm quę hodie fiunt ex Nicolao & Mesue, quanquã & id clemens, & efficax fuerit. Illud calidissimum. quod non esse Galeni caryophylla, nux moschata, macis, cubebæ, galanga, planè indicant.

Ceratum, stomachicum Galeni ex Nicolao recipit menthæ, absinthij, maioranæ, stœchados Arabicæ, foliorum lauri, chamæmeli, rosarum, ana manip. vnum, cinamomi, spicæ nardi, nucis moschatæ, caryophyllorum, macis, cubebæ, galangæ ana vnc. dimidiã, thuris, mastiches ana vnc. vnam: puluerata excipe ladani, cerę ana vnc. octo, olei chamæmelini, laurini, spicini, mastichini, rosati, ana vnc. vna & dimidia.

Oleum laurinum, rosatum, chamæmeli, cum cera & ladano liquãtur, mox igni aufer, & trade mortario, cætera misce multum, & diu tundendo, donec erit glutinosum cum oleo spicino, & mastichino.

Ceratum aliud Mesuæ recipit rosarum, mastiches ana drachmas viginti, foliorum absinthij siccorum drachmas quindecim, spicæ Indæ drachmas decem: excipe cerę puræ vncias quatuor, olei rosati libr. vna, & semisse simul igni

liqua

liquatis, mox aqua rosarum aliquoties lotis, deinde vino veteri, succo cydoniorum & pauco aceti.

DE EMPLASTRIS.

HAEC emplastrus cum r, & adiectiuè medicamentum emplastrum sine r, Galeno dicitur, Latinis tamen placuit potius dicere neutro genere emplastrum, quos hîc sequemur. Emplastrum autem est medicamentum corpori admouendũ, durum valde & solidum ex omnibus propè medicamentis, præsertim pinguibus & siccis coactum.

In emplastra enim recipiuntur omnes plantarum partes, metallica item & terrea omnia. Multæ etiam partes animalium ac interdum animalia tota.

Ex his autem quædam vires solas emplastro distribuunt, vtvinum, acetũ, aqua, succi liquidi: hęc enim ad sui cõsumptionem coquuntur. Alia corpus tantum, & materiam emplastro conferunt, nullam verò aut minimam virtutem largiuntur, vt lithargyros, cera oleum commune, recens, & frequenter resinæ. Reliqua propè omnia & corpus & facultatẽ aliquã emplastroimpertiuntur. Ex quibus patet scopos cõponendorum emplastrorũ præci-

puos esse duos, facultatem & consistentiam crassam, duram, glutinosam. Duos verò alios odorum & colorũ minus esse præcipuos, & magis in ægrorum gratiam quàm medicamenti naturam, recipit tamen ob apprehensionem. magni quoq; sunt momenti, præcipuè odor. Is enim bonus cerebro, cordi, vtero, commodare possit: malus nocere. in sumẽdis verò coloris, & præter hos saporis magna quoq; ratio est habenda, vt in methodo componendi medicamenta ostendimus.

Ex his radices, cortices, ligna, folia, surculi, flores, fructus, semina sicca, & simul pulverata, vel cum aliis, fere postrema miscentur cocto emplastro cũ aristolochia, gentiana, chamæleo, remoto ab igni emplastro à Galeno miscentur: si qua verò ex his recentia & viridia sumantur, vel ex humore aliquo coquuntur, cernũtur, miscentur: vel succus ex his si succulẽta sint tritis expressus incoquendis aliis seruit, & in vaporem exhalat, viribus tamen relictis, vt in emplastro de genua. Id quod etiam muccaginibus commune est, sed minus hæ ob lentorem exhalant.

Oleum tamen & mel adhuc multum absolutis emplastris supereſt.

Qui verò succi constantes & corpulẽti

vt

(vt aloë, hypocisthis, glycyrrhizæ succus, acacia, glaucium, lycium, elaterium, meconium) in emplastra veniunt. si recentes sunt, aliquo rei propositæ idoneo humore soluuntur, qui coctione prius est consumendus, quàm illi composito misceantur, aut saltem simul incoquendo consumetur. Si autē sicciores sunt, tamen adhuc teri contumaces, pistillo calido, & ob calorem siccante terantur, nisi si qui sint friabiles, vt aloë, scammonium, tam succus, quàm liquor. Dicti verò succi omnes refrigerari iam incipienti emplastro miscendi sunt, vel dum cerati consistentiam habet emplastrum, si illorum succorum substantiam & facultatem manere volumus in emplastro.

Sed succi sicciores, vt rarius in emplastra recipiuntur: sic liquores, gummi, resinæ, metallica omnino frequentissimè.

Liquores autem vt galbanum, opopanax, sagapenum, ammoniacum aceto vel vino vel alio competenti humore macerati dissoluuntur, colantur, coquuntur ad humoris illius consumptionem, in emplastriq; consistentiam coguntur, túncque põdus illorum quæsitum in scriptura sumitur. Si verò horum duo, tres, quatuor in idem emplastrum recipiuntur: sed

pondere diuerso, vt in emplastro diuino, seperatim liquores singuli sunt macerandi, dissoluendi, colandi, coquendi, vt cuiusq; per se pondus legitimũ accipiatur, id quod ante hanc per colum purgationem fieri probè non potest ob ramentorum, seminum, sordium, & aliorũ largam in multis horum mistionem. Si verò puri sint, aut cultello purgati, potes initio statim pendere, & mox simul dissoluere, colare, & emplastro propemodũ cocto incoquere ad humoris ascititij cõsumptionem. Quòd si iam dissoluti, colati, appẽsi, & per se cocti ad emplastri crassitudinẽ, vt dictum est, venerint, percocto iam emplastro iniiciuntur. Sunt qui terebinthina pauca, si hanc recipit emplastrum, percoctos prius resoluant quàm iniiciant

Galbanum ligneo pistillo tusum aliquando cæteris ab igne depositis iniicitur, aliquando parum incoquitur, raro multum: ammoniacum sæpe multum coquitur, aut seperatim, aut cum emplastro, interdum minus: est quando digitis ad ignem, vel solem dilatatum, mox vt ialia, sed remota sunt ab igne sublata iniicitur, donec liquescat.

Ammoniacum solum impositum squalida & arida reddit emplastra, nisi cera & resina

resina, vel alia ad emplasticam cofectionem idonea miſceantur.

Vinum verò, acetũ, & alia id genus coquẽdo tota cõſumuntur, viribus tamẽ (vt dixi) in medicamẽto relictis pro varia aceti & vini natura. Neq; enim idem poteſt acetum ex vino auſtero, & acetum ex vino valenti: adhæc tenue, purum, albũ valentius eſt, in tenuãdo & penetrãdo quàm contrariũ: ſic vina medicamẽtis varia expetũtur, nũc auſtera in emplaſtris epuloticis: nunc generoſa, quale Falernũ, ſi digerendum valentius eſt. Ob id à medico ſunt hæc diſtinguenda in ſuis ſcripturis.

Oleum emplaſtris prima ratione miſcetur ad coctionem, deinde vt emplaſtrum fiat anodynum, reſoluens, molliẽs, vtque medicamenti vis acris, vel auſtera obtundatur.

Oleum cõmune emplaſtris miſcetur, vt materiam prẽſtet: ſitq; cum cera liquatum, & miſtum emplaſtrorum corpus, cui euphorbium vel alia miſceantur. Sæpe autem ad metallicorum coctionem adhibetur, vel ſolum, vel cum aqua, vel aceto, vel vino. Solum cum axungia in emplaſtro diachalciteos ad lithargyri & chalciteos coctionẽ: ſola item, vel cum dictis humoribus lithargyros læuiſſima ferè

veteribus coquitur ad sordium consistentiam, metallicis quibusdam, vt squamma æris, cerussa, nunc initio adiectis, nunc postea pro variis medici scopis.

Oleum verò vetus, quanquam & materiam præbeat, tamen ad digerendum miscetur: id quod quãto vetustius est, tanto in id efficacius. Eadem ratione omphacinum oleum, vel simile ad astringendum & refrigerandum miscetur: lotum ad refrigerandum, & dealbandum. Composita quoq; olea omnia, & vnguenta in emplastra immitti possunt, vt præter materiam, facultatem quoque suam immittant.

Additur etiam oleum, vt resinarum siccionum, & ceræ vetustioris siccitatem corrigat: id quod resinæ recentiores quoque præstant.

Oleum hyeme vnguentis quibusdã cęratis, emplastris largius miscẽdum quàm æstate, à cuius calore semifusum, mollius reddit vnguentum ceratum, emplastrum, vt durius idem oleum ab hyemis frigore concretum. Eadem ratio resinarum liquidarum, & siccarum minus, & ceræ, vt olei partem cotylę quartã hyeme, æstate octauam miscet Galenus, interdũ cotylas olei quatuor hyeme, tres æstate idem miscuit. Resina tamen & cera quanto pinguior, humid

humidior, recentior, tanto paucior tam hyeme quàm æstate miscenda est: sed tamen parcior adhuc æstate quàm hyeme.

Mel panaciæ, & aliis quibusdam emplastris miscetur, vt corpus præbeat emplasticum, & præterea siccet, tergeat, digerat, à putredine vindicet.

Cera in emplastris solum materiæ locum habet, non efficaciam virtutis adiuuat, vt interdum resina, nõ tamen omnibus, vtpote materiam aliunde sortitis cera miscetur, aut resina. Nam emplastrum diachalciteos neutram recipit, quòd consistentiam emplastri iustam suppeditent lithargyros, chalcitis, & axungia à membranis purgata, cum oleo cocta. Adhæc quibus ladanum miscetur, si largum est, ceræ vicem sustinet, vt ea non sit addẽda.

Porrò cera vel est recens, & ob id pinguis & glutinosa magis. Hæcque æstate parcior est miscenda, vt oleum hyeme, largiori manu vtrunque & ratione eadem pices, & resinæ. Quæ verò cera est siccior, vel natura, vel tempore hæc, minus diu coquenda, & sæpe oleo aliquo vel resina liquidiore humectanda. Adde quòd cera alba seu natura, seu lotione ad candorem quoque interdum additur: Propoleos ferè eadem quæ ceræ consi-

ſtentia & ratio, ſed facultate trahendi vehementi eſt prædita, quam cera vel nullam vel minimam obtinet, quamuis nonnihil digerit, ſed inter digerens & tractorium aliquid intereſt Galeno initio lib. 7. c. ph. g. Propolis ob id ferè ſemper remoto ab igni emplaſtro miſcetur, ne vis eius attractrix exhalet.

Gummi thuris omnium frequẽtiſſimè in emplaſtra Græcis veteribus recipitur, myrrha & ſarcocolla non rarò, bdellium & ſtyrax interdum, cætera rariſſimè, niſi quòd caphuram, & alia quædam Arabes ac neoterici frequenter hodie ſuis emplaſtris commiſcent.

Vt lib. 5. meth. Mãna Grec. Thus autem perſæpe miſcetur emplaſtris ad obtundendam aliorum valentiorum violentiam, nonnunquam vt materiam præbeat emplaſticam, præſertim quod recentiſſimum eſt ac pinguiſſimũ, nonnunquam vt affectus cauſam coquat, & modicè digerat. Rationibus iiſdem mãna ipſis miſcetur, ac præter eas vt modicè aſtringat. Gummi alia ferè miſcentur, quo emplaſtris facultatem aliquam ſuam largiantur, ac non multò ante reſinas iniiciuntur, idque quia ſubſtantia ſint aquea & craſſiore, cum reſinæ ſint aëreæ magis & tenuiores, vt in ſimplicibus diximus

mus. Si verò gummi sint liquida & recentia eorum quæ humiditatem multam & virtutem in emplastro manere velimus parum diu incoquantur. Quod præceptum succis, liquoribus, resinis, & aliis permultis est commune: quia coquendo sicciora euadunt, & viribus velut exanimantur.

Gummi liquores semper in fine misceantur, & succi sicci: quæ si humore aliquo fuerunt soluenda, ad illius consumptionem prius coquantur, pòst misceantur, quando emplastrum incipit refrigerari. Succi liquidi in emplastro de ianua coquendi cum oleo. Herbæ virides in emplastro gratia Dei cum vino coquuntur ad eius consumptionem. Ex oleo coquuntur emplastra, vt apostolicum, ceronem, oxycroceum, diuinum, & contra rupturam, diachylon, vel ex succis, vt emplastrum de ianua, vel lacte, vt emplastrum gratia Dei.

Chalcanthum aceto solutum depositis ab igne paulatim miscetur, Galeno cauēti ne efferuescat. Aes vstum, ærugo, chalcitis, magnes, bolus Armenica, terra Lemnia, sulfur, auripigmentū, & cętera pulueribilia in fine depositis ab igne miscētur. Adeps super ignem miscetur semper agi-

tando

tando: crocus humore solutus dum fiunt magdaliæ & moschus miscentur.

Resinæ Resina lentiscina, terebinthina, laricea, pityinia seu pinea, picea, abietina, cupressina emplastris miscentur sæpe ad consistentiam ipsorum costituendam tantùm, seu vt materiam & corpus emplastro cum aliis præbeant, interdum vt lentorem & glutinosam qualitatem impertiãtur, cùm per alia emplastrum pinguis expers, nec adhærens per se partibus est, at per se promptè excidens.

Est quãdo vt virtutem aliquam emplastro afferant digerendi, tergendi, siccãdi, vel aliam cuique seorsum resinæ peculiarem, vt in ipsarũ historia docui in simplicibus: Quantum autem vniuscuiusque sit miscendum, & quando coctioni sit vna quæuis miscẽda, postea suis locis audies.

Terebinthina quanuis valentius quàm cera emollit, ac præterea calfacit, & digerit: sæpe tamen emplastris iniicitur, vt ea tantùm reddat glutinosa, non vt facultatem aliquam, vel nouam tribuat, vel augeat. Aliæ item resinę similiter pingues eadem ratione.

Quãdo autem ea miscetur, & simul liquores, aut succi sicci. His humore idoneo solutis, colatis, ad humoris consumptionem

ptionem coctis, rectè commiscetur terebinthina, deinde ambo percocto emplastro, & ab igni deposito permiscentur, vt ignē nullum, vel minimum sentiat terebinthina, siue per se, siue cum aliis in emplastrum veniat, vt in emplastris diachylo maiore, de meliloto, de muccaginibus.

METALLICA.

METallica autem sunt admodum curiosè terenda, & cribro tenui cernenda, vt promptius liquentur si liquabilia sunt, vel ne contactu nos offendant si non liquantur, etiam si liquabilia sint.

Ex his verò quæ liquantur libro superiore docui in liquatione.

Liquatur lithargyros cum aqua, vel oleo, vel vino, vel aceto, vel oleo iunctis horum aliquibus, quæ tamen coquendo absumentur, & liquandi celeritatem lithargyro afferunt, vt pòst audies.

Lithargyri & cerusæ ana lib. 1. si cum olei & aquæ ana libra vna, parum diu aëre puro igni splendente coquantur, album fiet emplastrum: sed vt adhæreat parum terebinthinæ, vel resinæ similis addendū: si molybdæna addatur, fiet cineritium, si lithargyros & oleum sint lota, albius fiet emplastrum. albedinem præter dicta emplastro

plastro conciliat cera alba, oleum lotione albatum, pompholyx, spodium, calx, ossa vsta, & piscium testæ vstæ farinæ. si plus ceruſæ accipiat quàm lithargyri, albius fiet, sed minus tenax.

Aerugo citra coctionem cerato mista emplastrum facit viride: melius fiet si ærugo in sole ex aceto acri pluribus diebus læuigetur, quod enim est in ea mordax, sic mitescit. Si verò æruginem cum aliis initio mediocriter coxeris, emplastrum facies melinum, id est coloris mali cydonij: si liberalius, rufum fiet. Rufa itẽ & fusca efficiunt chalcitis vsta, auripigmentum, sandaracha, pix nigra, bitumen, gagates lapis, & alia ante mistionem nigricantia, quæ si largiora miscentur, nigrum faciunt emplastrum. Melinum etiam fiet si ærugo lithargyro ad spissitudinem cocto addatur, & iterum coquatur, donec vrendo rufescat.

Cadmia fornacaria, vt etiam lapidosa prius ex vino, vel alio liquore idoneo diu trita sit melior, & ad fusionem aptior.

Ceruſa interdum additur emplastris, vt refrigeret, siccet.

Interdum ad albedinem conciliandam, interdum ceu apta tantùm conficiendo emplastro materia, vt in emplastro

ſtro Heræ ex duabus ariſtolochiis.

Si candidum vis emplaſtrum, lithargyri loti & ceruſæ ana lib. 1. cum olei vnciis nouem coquitur parum diu ob paucum liquorem (coctio enim longa nigredinẽ affert) ſed medicamẽtum tunc minus eſt glutinoſum, & adhærẽs: quale vt fiat quidam terebinthinam, vel colophoniam maximè perlucentem miſcent, ne calorem vitient, aut medicamenti virtutem. Alij eadem ratione ceram albã adiiciunt, vt ceruſa emplaſtris multis ad albedinem conciliandam miſcetur: ſic ad ruborem minium ſinopicum, veteres miſcuiſſe docet Gal. lib. 6. c. ph. g. vt autem ſit fuſcum emplaſtrum, ſquamma æris additur, & ignis ſit ex teda loco lignorum, ibidem.

Interdum per ſe ex oleo coquitur lithargyros ad ſpiſſitudinem, túncque puluerata ceruſa ſpargitur, vt fiat emplaſtrũ album. Ceruſa poteſt initio miſceri, vt ſal, & alia metallica, & terrea, & cum lithargyro coqui quando nihil ad albedinem conferet, ſed neque ad aliud quàm materiam, niſi quòd valentius ſiccat, quo diutius coquitur: ſic lithargyros & metallica ac terrea alia.

Lithargyri enim vſus in emplaſtris duplex

duplex: si enim non liquetur, materiæ solùm habet rationem: si liquetur præterquam quod corpus glutinosum emplastro præbet, etiam siccat, ídque magis quo diutius cocta erit, fitque sic medicamentum glutinantius.

Si lithargyros ex oleo coquenda sit, & ei emplastro addãtur muccagines, lithargyrum prius extra ignem pauco oleo nutrias: deinde igni trade, & muccaginem paucam, vt vncias duas affunde, prohibebit oleum & lithargyrũ vri: si non requiritur muccago, igni lento diu coquatur.

Lithargyros oleo duplo incocta satis glutinosum facit emplastrũ sine resinoso, aut ceroso corpore, multò magis si triplo.

Si emplastrum recipit lithargyrum, cerussam cum vino, aceto, aqua, oleo, vel succo alio fluxili, prius sine igni illa nutriantur in mortario cum pistillo: deinde coquantur igni lento, donec corpus (vt dicunt) sumat, & crassum glutinosũmque euadat. Lithargyros enim coquẽda diu ex humore aliquo, vt siccans magis, & glutinosum reddat emplastrum. Eadem ratione metallica reliqua, & terrea coctione longa sicciora euadunt, non tamen glutinosa, nisi quæ liquãtur. Nam quæ glutinosa prius erant cum his cocta, liquores,

gummi

gummi, resinæ, cera, mel, siccata magis lentorem glutinúmque amittunt. Oleum verò lentum, sed minus ob iunctam humiditatem multam glutinosius euadit, vt vetustate sic coctione. Adde quòd fusè coquendo litharyros, & oleo vnita probè, olei glutinositatẽ auget, tũ quòd in pristinam duritiem non redit, tum quòd siccando liquiditatem olei consumit. Vnde etiam citra fusionem lithargyros leuissimè trita, diu cum oleo mediocri subacta, in emplastri formam perducitur, præsertim si id in sole, vel aëre aliter calido fiat.

Contrà, ærugo, chalcitis, squamma æris, & similia diu coquuntur, vt vires eorum vehementes coctione longa obtundantur. Ladanum autem & galbanum, & propolis, & plurima alia vires tantas non habent, quę obtundẽdæ veniant. ob id nihil, aut minimum coquuntur. *Quantitas.*

Lithargyri lib. tres, chalciteos vnciæ quatuor cum olei lib. tribus, & axungiæ lib. duabus coquantur: pręstat tamẽ prius in mortario miscere illa omnia, quàm in cacabo coquantur. Lithargyrus & ceruſa ex pari sibi oleo & aqua si coquantur, medicamentum fiet fragile, cuti non hęrens, si maiorem liquidorum mensuram

acceperint,& ob id diutius coquãtur,glutinosum euadet medicamentum:Lithargyros fusa cũ aqua &oleo largo blandũ, & glutinosum, & album facit emplastrũ.

Lithargyri lib. vna ex aceti & olei ana lib.duabus,cocta ad liquationem, glutinosum admodum facit emplastrum, magis si ex vtriusque ana lib. tribus coquatur : quòd si vno die toto coquatur, nigrum fiet ac splendens.

Eadem ratione si cum largo vino & oleo liquetur.Viribus tamen maximè variat pro coctionis mensura,& aceti,vini, aquæ,olei varia in differentiis suis natura: quas differentias medicus pharmacopœo in scripturis suis explicare debet. Præstantius autem fiet horum quodque, si lithargyros ex his liquoribus,vel singulis, vel coniugatis æstate sole calido multum teratur singulis diebus quindecim.

Oleũ hyeme largius emplastris miscetur quàm æstate, à cuius calore semifusum fit mollius emplastrum, vt à frigore concretum durius.eadem ratio est resinarum liquidarũ aut minus siccarũ,& cerę.

Resina aut cera quanto pinguior,humidior & recentior, tanto parcior tam hyeme,quàm æstate miscenda est.

Si medicamentum facturus es simile

acopis

acopis vnguentis, & ceratis liquidis, oleum sit quadruplum ceræ. Si ad emplastri speciem durũ, ceram oleo æqualem misce, maximè si cera sit vetusta & sicca: si verò recens est ac pinguis, pauciore oleo quàm cera opus est, vt ceratum emplastri consistentia fiat, maximè per æstatem: vt si facis ceratum diaeuphorbij, accipe cerę drach. 6. olei drach. 6. vel drach. quinque, euphorbij drachmam vnam. Quòd si resinam miscebis, vt glutinosius sit mendicamentum, oleum minue. Cera enim ad liquiditatem multo pingui eget: resinę verò si sint aridæ, pauco: si liquidæ, siccam aliquam substantiam ad emplastri consistentiam postulant. Quantum autem resinæ cerato misceas, coniectabis experientia. Terebinthina enim triplicata ceræ mista, vide an emplastri habet spissitudinem, si erit siccius, auge resinam: si mollius, minue, vel cerã auge.

De propoli eadem quæ de cera ratio, si enim pinguis & recens est, parcior miscenda est ad emplastri formam, si vetus & sicca, largior potest misceri.

Si medicamentum iam cerati habet consistentiam vt emplastrum fiat, ceræ tantum tertia pars vel quarta misceatur: si adeps miscẽda est, & ea humidior, ceræ

dimidium addendum est.

Si ceram parem miscebis oleo, emplastrum medicamentum fiet aëre temperato. Si verò cera vetus est, & arida, & aër frigidus, paulò plus olei: si autẽ cera pinguis, & aër calidus, paulò minus olei quã cerę, vt cerę pinguis lib. vni, olei vnc. duodecim, ceræ verò siccæ vnc. tredecim, pro ceræ consistentia, quantitate, & aëris in calido & frigido temperatura. Vt autem pinguedine lenta cuti adhærere possit, resina additur, præcipuè terebinthina liquida, parte ad ceram tertia, vel quarta.

Quando ceræ miscentur liquabilia, quę frigida vbi concreuerint solida sunt, pauca cera opus est, vt in basilico tetrapharmaco recipienti ceræ, resinæ simpl. colophonię, picis, seui taurini pares portiones.

Quãdo præterea cerę mista sicca sunt, vt metallicorum pulueres, farinæ, pauca miscetur, vt emplastrum ex sem. lini. Olei veteris lib duæ, ceræ vnc. 20. resinę colophoniæ, adipis suilli ana lib. 1. & dim, lithargyri lib. 1. ceruſæ, & muccaginis seminis lini ana vnc. sex, thuris vnc. quatuor, farinæ tenuissi. vnc. vna. Muccagines, sem. fœniculi, lini, rad. althææ, & oleum incoquit Paulus in diachylo, dum bullire

bullire desierint, id est, ad muccaginis consumptionem.

Ex metallicis præsertim si pauca liquida addãtur, statim durissima euadunt emplastra. ob id parua quantitate paranda, præsertim si hyeme paranda sunt, ceræ, olei, adipum, medullarum, gummium, resinarum, butyri, liquidorum recentium, & succorum glutinosorũ misturam cum siccis, primam coniectura quadam artificiosa ex singulorum quantitate & consistentia præsumimus: non planè scientes quale crassitudine tandem medicamentum sit futurum: Sed cùm mista sint omnia, clarum fit an tenerius, vel durius æquo sit redditum: quare in secunda compositione diligentius à nobis coniectanda est legitima cuiusque quantitas.

Olei mensura est coniectanda ex his quibus miscetur, & coctionis quantitate, & aëris temperie: nam metallica sunt coquenda diutius quæ siccare sine morsu volumus, ac glutinosiora esse. ob id largius oleũ requirũt: quod si paucũ habẽt, & minus diu coquẽda & friabilia sunt, ni si resina aliqua coëant. Quod si cũ oleo & aceto vel vino coquitur, quo plus aceti vel olei accipit, eo magis siccabit emplastrum. Quæ ladanũ accipiunt, nõ egent

cera, & contrà, quia ladanum ceræ loco ad ſiccorum medicamẽtorum vnitatem faciendam vſurpatur. Multæ ceræ miſtura medicamenti vim aufert, cera recentiſſima, molliſſima, pinguiſſima, pauco humore oleoſo eget. Vnus coquendi modus in omnibus emplaſtris non eſt ſimiliter vtilis, ſed colorẽ, & ſæpe facultatem immutat. Poſſis enim ceruſam ab initio cum lithargyro coquere, ſed candorem ex longiore coctione perdet, & aſtrictionem, & refrigerationem: magis tamen ſiccabit, ſi cruda iniicitur: contrà, ſi cocto iam lithargyro ad mellis conſiſtentiam, omnia hæc mediocriter.

Coquendi modus & ordo.

Dum lithargyrum & alia metallica coquis igni, ſpatha ferrea moue ne vrantur, quòd fundum ob inſitam grauitatem promptè petunt.

Lithargyro ad conſiſtentiam cocta, adduntur adipes, reſinæ, gummi, manna, cera: dum cocta adeò ſunt omnia, vt digitos non inquinent, galbanum, & ærugo, & opopanax, ariſtolochia, panacis radix, chamæleontis radix, gentiana, myrrha.

Lithargyro ex oleo liquata, cera & terebinthina addũtur: vbi cocta ſunt adeò, vt manus non inquinent, ammoniacum manibus dilatatum additur, deinde lana ſuccida,

succida, vsta.

Quod si sepum & mannam thuris accipiat, illa ante ceram miscentur, & assiduè mouentur: post vbi mutata erunt & liquata, ceram, & picem aridam, & terebinthinam, donec amplius manus non inquinent: tunc adde galbanum, pòst æruginem, & opopanacem aceto dissoluta.

Lithargyro ex oleo cocta squamma lęuissima miscetur semper mouendo, deinde chalcitis ex vino calido acrimoniam exuta, vel aceto trita, paulatim miscetur.

Si bitumen, pix, cera, resina, propolis spissato illi addantur, quibus liquatis ęrugo, & pyritis lapis: ab igni sublato & modicè refrigerato alumen, galbanum subactum manna iniicitur.

Myrrha, bdellium, thus, opopanax ex aceto teruntur, interdum & ichthyocolla minutim concisa prius, puluis lanæ succidæ, manna, galbanum extra ignem iniiciuntur.

Terebinthina & cera addũtur lithargyro ad consistentiã cocto, deinde ammoniacum digitis dilatatum, tunc & ærugo & squamma æris, post hæc ipsum ęs vstũ, pityinam, & ceram, post hæc metallica.

Concoquendi finis.

Finis coctionis emplastrorum est, cum scopos prius dictos attigit: consistentiam

ſcilicet legitimam cum viribus expectatis, colorem quoque quæſitũ ac odorem. Conſiſtentia autem iuſta, hoc eſt craſſa, dura, glutinoſa, & adhærẽs cognoſcitur, quando emplaſtri portio exempta, & refrigerata in aëre, marmore, metallo, vel aqua, vel alio, digitos non inficit, & omnia in vnum probè coierunt: nec fragile, ſed tenax, ductile, rumpi contumax, duritiæ ceræ igni, vel alio calore mollitæ.

Vires autem emplaſtri expetitas cognoſces ſi quas frangi noluit medicus in tegrę ſunt, nec igni diſſolutę, quas auctas voluit, vel fractas, coctione longa, vel aliorum miſtione auctas & fractas coniectura quadam colligis: quæ an certa fuerit, experientia & vſu emplaſtri probabit medicus, & tibi poſtea inſinuabit. Ignis ipſe non modò vehemens aut clemẽs, ſed ſubiectorum ratione, & diuturnitate emplaſtri, vim aliam alia mutat: nam vehementior vrit, & denigrat: vti & diuturnior & fumoſus, & qui ex tedis fit, vel aliis fumum multum & craſſum ob reſinoſam ſubſtantiam edentibus, & in aëre craſſo, & nebuloſo factus. Contrà verò clementior coquit, & qui ex lignis fit ſiccis, ac ſine fumo, ſinceram & ſplendidam flammam edentibus in aëre puro.

Lithar-

Lithargyros flamma acri & continua interdum coquitur, interdum igni lento. Probè coctum est emplastrum diachylon Nicolai Alexandrini, quando in eo vesiculas ebullare & subsistere videris, cap. eiusdem. 104.

Pyxide rubra quædam, alia lignea, alia pelle excepta reponuntur, ferè tamen hodie Democratis exemplo lib. 5. com. ph. g. μαγδαλίας manibus facimus, quas papyro circundamus. *Repositio.*

*Emplastrum diachylon commune Mesuæ sic fit: lithargyri tenuissimè triti, & à plumbo & scoria purgati vnc. vna & dimidia: cum olei antiqui clari vnc. tribus in mortario * lapideo pistillo ferreo diu conquassetur & agitetur, post igni lento coque, rudicula semper mouendo, donec lithargyrum crassescat: tunc igni aufer: vt paulatim frigescat, sine. Interim vnc. tres muccaginis ex semine lini, & fœnigræci & radice maluæ extractæ parum ferue fac, deinde illam paulatim lithargyro & oleo probè pistillo ligneo permisce: postremò percoque omnia simul ad iustam spissitudinem. Si vis ireatum facere, misce aut oleum irinum pro communi, aut pulueris ireos vnciam vnam in lib. singulas. si addatur muccago, se. meliloti, anodynum magis euadet.* *Diachylon album. *æreo hodie.*

Hodie sic paramus, sunt qui semina lini & fœnigræci purgata sordibus, & radicem maluæ mundã & contusam nonnulli triduo aqua macerant super prunas clementes, deinde semper mouendo coquunt ad dimidias, & colant. Eius colati libram vnam cum oleo aliquantisper coquunt, postea puluerẽ lithargyri miscẽt, & continenter rudicula mouentes coquunt, donec bullas & stridorem edere desinat, seu donec marmori vel aquæ frigidæ infusa portiuncula & refrigerata idoneam habere cõsistentiam videatur.

Si lithargyros & oleum diligenter sint abluta, multò albius erit emplastrum. Nicolao Alexandrino recipit olei veteris vnc. 42. lithargyri vnc. 36. radicis maluæ agrestis, & ibisci, fœnigræci, seminis lini ana vnc. 12. radices & semina in aquæ phialis tribus triduo infusas, igni lento coque ad dimidias, cola: expressi libram vnam cum oleo aliquandiu coque, dein puluerem lithargyri quantum satis est incoque semper mouendo: dum percoctum erit, hoc est, dum vesiculas bullare & subsidere videris, aufer igni: dum refrixerit, conde. Lithargyrum cum oleo vidi diu agitari in mortario metallico, pistillo ferreo, albuit: sed dum ignem attigit, nigruit,

nigruit maximè, vt diachylo ineptissimum videretur.

Lithargyrum vbi in vas igni impositum miseris, oleum paulatim affundatur, semper miscendo pistillo ligneo vbi probè erunt mista, partem meliorẽ muccaginis affunde & coque: dum ea videbitur consumpta, reliquorum paulatim adiice semper mouendo.

Cum autem lithargyrum promptè vratur, motu per spatham ligneam latam assiduo est opus, qui eam à fundo vasis separet: ignis præterea sit blandus, & affundatur vt dictum est, muccago.

Album autem fiet, vt vulgo expetitur, si muccago parũ habeat se. fœnig. id enim largius flauum facit emplastrum. addunt nonnulli salem paucum initio extrahendæ muccaginis, vt clarior & albior sit. Lithargyros item benè lota aqua communi vel salsa, albedinẽ addit, & coctio mediocris. Nam multa & vstioni propinqua flauitiem & ruborem & nigrorem impartit. Si verò violenta est flãma, etiam mox nigredinem dat lithargyro.

Proportio lithargiri ad oleũ hic eadẽ quæ prius.

Empl. diachylon magnum Mesuæ recipit lithargyri puri, triti & creti vnc. 12. olei irini, anethini, chamæmelini ana vnc. octo, muccaginis seminis lini & fœnigreci, & radicis althææ,

althææ, & ficuum pinguium & vuarum passarum, succi ireos, & scyllæ, æsypi, ichthyocollæ ana drach. duodecim & semissem, terebinthinæ vnc. tres, resinæ pini, ceræ flauæ ana vnc. duas, compone vt diachylon commune.

Muccagines vt prius emulgeantur, oleoque lithargyros in mortario vel vase in quo coquenda est diu ante coctionem nutriatur semper mouendo: deinde igni lento coquatur, dum crassescere incipit muccago paulatim affundatur, hac propè cõsumpta igni auferatur emplastrum, affundatur succus ireos & scillæ, & ichthyocollæ glutinis muccago, cum vino & aqua simul mistis & coctis extracta. His consumptis coctum est emplastrum, & cera minutim secta & pini resina miscendæ his liquatis: terebinthina & œsypus extra ignem miscenda, quia coctionem non sustinent.

Ichthyocolla etiam piscis est.

Emp. de muccaginibus spurium recipit muccaginem, sem. lini & fœnigræci, & althææ, & mediani corticis vlmi ana vnc. quatuor & semissem, olei liliorum, anethi, chamæmeli ana vnc. vnam, Ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni ana vnc. semissem, ceræ nouæ vnc. viginti, terebinthinæ vncias duas, croci drachmas duas. fac emplastrum.

Muccagi-

Muccagines vt dictum est extrahantur cortice vlmi medio bene prius contuso, eædem oleis incoquendo consumantur, olea residendo purgentur, vel linteo sine expressione colentur: his carentibus cera particulatim secta liquefiat, & liquores isti quatuor aceto* soluti, & linteo colati cerelæo calido misceantur: postremò extra ignem terebinthina, probéq; omnia commisceantur, & caue ne in grumos abeat. Crocus tritus marmori inspergitur & manibus fingendo magdalias immiscetur.

*vel chamæ meli & melilo-ti de co-cto.

Empl. de meli loto Mesuæ, recipit meli loti vncias sex, florum chamæmeli, se. fœnigraci, rad. althææ, absinthij, sampsuchi, baccarum lauri ana drach tres, cardamomi, cyperi, ireos, cassiæ, spicæ nardi, seminis apij, ameos, anisi ana drach. duas & semissem. ammoniaci drachm. decem, styracis, bdellij ana drachm. quinque, terebinthinæ vnc. vnam & dimid. ficus pingues duodecim, sepi hircini, resinæ ana vnc. duas & semissem, ceræ vnc. sex, olei sampsuchini & de spica ana. q. sufficit infundendis & extendendis omnibus.

Vt ana vnciã vnam.

Sepum hirci colatum, resina, cera in oleis liquentur: ficus pingues aut parùm humectatæ probè tritæ per mantile, aut

stamen,

ſtamen, aut cribrum ſetaceum cernantur, præ dictis miſceantur, deinde ammoniacum & bdellium in aceto ſoluta & colata, poſtea terebinthina, poſtremò vbi refrixerit, pulueres creti radicum, herbarũ, florum, aromatum, & ſimul cum his ſtyrax per ſe diligenter tritus. Si verò ficus eſſent pauciores, & puluis largior, nec is cernendus, poſſunt hæ minutim conciſæ cum aliis teri. baccæ lauri excorticandæ. Sunt qui Ammoniacum & bdelliũ aqua (cui melilotus, chamæmelum, & fœnum græcum ſint incocta) diſſolui malunt, vt emplaſtrum fiat emolliens magis: ſed aqua illa ægrius ſoluuntur, quàm aceto eſſentiæ tenuitate promptius ipſa tota penetrante & diſſoluente.

Emplaſtrum ceroneum Nicolai recipit picis nauali colatæ, ceræ ana vncias duas, & drac. tres, ſagapeni vnc. duas, ammoniaci, terebinthinæ, colophoniæ, croci, ana vnciam vnam, & drach. tres, aloes, thuris, myrrhæ ana vnc. vnã, opopanacis, ſtyracis, galbani, maſtiches, aluminis, fœnigræci, ſtyracis rubri, bdellij ana drach. tres, lithargyri drach. vnam & dimidiam. ſagapenum, galbanum, opopanax, ammoniacum fracta vel potius inciſa vino tecta nocte macerentur: coquantur ad vini dimidij

consumptionem, colentur, tunc picem colatam misce, spathula moue, hac liquata ceram: qua fusa colophoniam colatam, postea styracem pistillo calido tritum frustatim adde: hinc mastichen, thus, myrrham, bdellium, trita, creta aliquandiu post injice, terebinthinam, alumen, lithargyrum, fœnumgræcum percoctum affunde in aquam frigidam, extracto aquam omnem manibus exprime cum puluere aloes, super marmor oleo laurino vnctum subige, cum puluerato croco finge offas manibus eodem oleo vnctis.

Sed Nicolaus Alexandrinus lithargyrum tenuissimè tritum, cum oleo quantũ satis est percoquit, deinde picem addit: hac liquata, ceram, aqua fusa lachrymas colatas, ammoniacum, sagapenum, opopanacem, galbanum, styracem vtrunque, terebinthinam, & spathula probè miscet. Hinc colophoniæ, thuris, mastiches, bdellij, aluminis, myrrhæ, fœnigræci, puluerẽ paulatim miscet, vbi percoctum est, in aquam iniicit. Ceroma autem proprie oleum quo luctaturi se perfundunt.

Hodie melius picem & colophoniam liquatam colant, ceram in ea liquant, sagapenũ, ammoniacum, galbanum, opopanacem, bdellium, vino soluta & colata coctáque ad vini propè totius consumptionem,

ptionem, paulatim miſcent, deinde terebinthinam, poſtremò puluerem reliquorum tenuiſſimè tritorum & cretorum, crocum verò inter ſubigendum ſuper marmor & oleo manus vngunt, ne his emplaſtrũ adhæreat. Vel potius liquoribus, vt dixi, coctis particulatim miſcetur cera, reſina, colophonia liquata, vel cera particulatim iiſdem miſcetur: & hac fuſa reliqua duo liquata paulatim miſcentur: ſic enim citius & perfectius in corp⁹ vnũ coëunt. Si verò ſimul vel liquores ceræ, pici, colophonię, vel cõtra liquoribus, ceræ, picẽ colophoniã affatim iniicis, liquores fundũ ob grauitatẽ petentes vrẽtur: & cum aquoſi ſint, ægrius aliis pinguibus ſummũ leuitate ſua petentibus miſcebũtur: niſi fortè tandẽ iam vel vſti vel ſemiuſti. Vide diligẽter, ne aloë, & myrrha vrantur, & grumoſum reddant emplaſtrũ.

Alij ſecreto quodam modo Ammonia cum, ſagapenum, opopanacem, galbanũ, bdellium vino ſoluta, cocta ad emplaſtri conſiſtentiam, terebinthina paulatim miſta ſine igni remolliunt, non modo in ceroneo hoc, ſed etiam emplaſtro pręcedẽti de meliloto & aliis, deinde liquatam ceram cum pice & colophonia miſcent, poſtremò reliqua.

Emp

Emplastrum oxycroceum Nicolai recipit picis naualis, croci, colophoniæ, ceræ ana vncias quatuor, terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhæ, mastiches, thuris ana vnciam vnam, & drachm. tres: Galbanum & ammoniacum aceto nocte vna macerentur, postridie liquantur igni, colantur, iterum coquuntur ad partis aceti consumptionem: addit tunc picem naualem colatam, hac fusa ceram, qua liquata colophoniam, deinde terebinthinam, aliquãdiu post mastichen, thus, myrrham, semper spathula mouendo. Cocta in aquam frigidam immitte, manibus hanc totam exprime, super marmor oleo inunctum cum puluere croci molli, & offas finge.

Alij picem naualem colatam, colophoniam ceram liquant, his adhuc calidis galbanum & ammoniacum in aceto dissoluta & colata miscent. His coctis mastichen, thus, myrrham, postremò terebinthinam, & vbi iam refrixit manibus molliendo, & subigendo super marmor, puluerem croci confundunt: hyeme verò addi potest olei vnc. vna ob emplastri siccitatem.

Nicolaus Alexandrinus picem cũ parte aceti, in olla noua coquit ad aceti consumptionem, cum reliqua ammoniacũ, thus in mortario terit & soluit, & coquit

semper mouendo, cauens ne acetum exiliat. Cum acetum est consumptum, galbanum, myrrham, mastichen addit, his seruefactis crocum pulueratum miscet, deinde in mortariũ fundit, & fingit magdaliones. Sed modi alij placent magis.

Oxycroceum vocatur ab aceto macerante galbanum & ammoniacum, & croco largiore. Nam eius vncias quatuor recipit, ceroneum verò tantùm vnciam vnam, & drachmas tres. In ceroneo præterea liquores vino macerantur, cætera multùm conueniunt, sed illud valentius, hoc propter crocum largiorem sumptuosius, quem variè minuunt. Ob id vt vilius sit, croci vncias tãtùm duas hodie miscẽt, dolo parum malo cum crocus vires medicamento maiores non largiatur, quàm ceroneo, vt causa sit nulla, cur hic adeò augeatur sumptu parum necessario, nec viribus adeò æstimandis.

Emplast. de Ianua Nicolai recipit succorũ apij, plantaginis, betonicæ ana lib. vnam: ceræ, picis, resinæ, terebinthinæ ana lib. semissem, forma emplastrum.

In succis his reliqua tria sunt igni lento coquenda, & continenter mouenda ad succorum consumptionem, postremò terebin

rebinthina mista, semel aut bis feruefacienda. Alij terebinthinæ partem dictis simul incoquunt, reliquam extra ignem miscent, vt siccitatem aliorum emendēt, sicq; formā emplastro meliorem impertiunt. Succos per se in sapas coquerem potius, deinde liquatis aliis miscerem. In neutro Nicolao inuenio hoc emplastrū, vt neque tria sequentia: sed tantùm ex his ceroneum, oxxcroceum, apostolicum.

Emplast. gratia dei Nicolao, recipit terebinthinæ libr. semissem, resinæ lib. vnam, ceræ vnc. quatuor, mastiches vnc. vnam, verbenæ, pimpinellæ, betonicæ ana manip. vnum herbæ hæ tusæ ex vino albo valenti coquantur, ad vini tertiæ partis consumptionem, cola, herbarum substantiam abijce, in colato cera, resina, mastiche coquantur ad corporis idonei constitutionem, aufer igni, terebinthinam adde, spathula moue, fac emplastrum.

Herbę hæ recentes incisæ, tusæ in vino albo potenti ad sui dissolutionem percoquantur, colentur, in colato vini reliquo cera & resina ad colati propè consumptionem coquantur: tunc mastichē adde, postremò terebinthinam, semel feruefac, aufer igni. vbi refrixit finge in offas cylindrales.

Alij in colato resinam solam coquunt: hoc propè consumpto ceram addunt, postremò terebinthinam extra ignem, & vbi refrigerari incipit, masticben pulueratam permiscent. Vterque hic modus, quàm Nicolai est præstantior, quòd masticbe coctionem non sustineat ob essentiæ tenuitatem.

Hodie vt sit albius, addita paulò largiore terebinthina trahunt modo penidiorum.

Emplastrum ad herniam Nicolao recipit picis nauali, aloes ana vncias tres, litharg yri, ceræ rubræ, colophoniæ, galbani, ammoniaci, ana vncias duas. Visci à quercu vncias sex. Boli armeniæ, vtriusque symphyti, gypsi, vtriusque aristolochiæ, lumbricorum terræ, gallarum ana vncias quatuor, myrrhæ, thuris ana vncias sex, terebinthinæ vnc. duas, sanguinis humani lib. vnam. Pellis à veruece mox vbi ablata est, horis 24 coquatur, deinde expressa pelle & abiecta viscum quernum in hoc iure diu coctum vbi fuerit, igni auferatur, addatúrque terebinthina, litharg yros, colophonia, hinc masticbe, thus, myrrha, galbanum, ammoniacum, lumbrici terræ, paulò post symphytum maius & minus, gypsum, bolus armenia: igni tunc redde, & adde sanguinem humanum, aristolochiam

lon

longam & rotundam, postremò aloen, semper spatha agitando, impone marmori, quod oleo violato inunxeris & manibus subige. Iterum biduo aut triduo in mortario continenter teratur.

Aliud est Arnaldi Villanoua.

In decocto prædicto pellis arietinę recentis visci baccæ ad sui dissolutionem percoctæ, colando expressæ abiiciuntur, addditur lithargyros, aliquanto post cera, pix, colophonia, coquendo semper mouenda ne vrantur: coctis his, & aqua prope consumpta, galbanum, ammoniacum, vino soluta, & creta, myrrha, terebinthina, ab igne depositis, sed adhuc calentibus, thus, mastiche, lumbrici in vino purgati & vino alio probè seorsum cocti. Tempore nimis durescit, nisi addatur oleum. Alij post colatum viscum extra ignem addunt ceram, colophoniam terebinthinam, aliquanto pòst iniiciunt liquores dissolutos, colatos, coctos, vt sępe dictum est. Lithargyros, gypsum, thus, myrrha, bolus armenia, sanguis humanus & cætera teri habilia.

Emplastrum diuinum Nicolai recipit galbani, myrrhæ ana vnc. vnam & drach. duas, ammoniaci vnc. tres & drachm. tres, opopanacis, mastiches, aristolochiæ longæ, æruginis ana vnc. vnam, lithargyri & olei communis ana

libr. vnam & semissem, ceræ nouæ vnc. octo, thuris vnc. vnam & drachm. vnam, bdellij vncias duas, magnetis vnc. tres, misce omnia vt decet.

Lithargyrum cum oleo diu ante coctionem nutriatur, postea ad spissitudinem vsque *coquatur: tunc adde ceram minutim concisam: qua liquata auser igni, & adde galbanum, ammoniacum, opopanax, bdellium, si molle est, in aceto vel vino dissoluta & colata & cocta: deinde puluis mirrhæ, bdellij, si est siccum, masti ches, thuris, aristolochiæ, magnetis: postremò ærugo, ne si diu coquatur, emplastrum fiat rubrum, sit tamen medicamẽtum adhuc valde calidum, alioqui ob ipsius solidam duritiem ægrè permiscerentur omnia. Si verò flauum vis, semiustam æruginem impone, vel coquendo talem redde: si rubrum (quale Narbonensis Gallia præfert) eius æruginis drach. duas, vel quatuor dum coqui cœpit lithargyros immitte, reliquas eius drac. in fine, si nõ vis ita coloratum, totam misce postremum.

*Id quod ei cito, quia paucũ est oleũ, accidit.

Emplastri forma per coctionem fiunt hodie vnguentum tripharmacum, & vnguentum de ceruſa.

Emplast. apostolicum Nicolai recipit, lithargyri vnc. sex, ceræ mauricæ, colophoniæ ana vncias

vncias duas, propoleos, viſci querni ana vnciam vnam, ammoniaci, cadmiæ lapidis ana drachmas ſex, maſtiches, thuris ana vnciam ſemiſſem, terebinthinæ, bdellÿ opopanacis, galbani, myrrhæ, ſarcocollæ, æris vſti, ſquammæ æris, æruginis, dictamni, ariſtolochiæ rotundæ, * *mumiæ ana drachmas tres.*

Lithargyrum & oleum diu ſimul nutrita, coquuntur, ſemper mouendo ad emplaſtri conſiſtentiam, ſeu donec ſcutellæ impoſita, ceræ, aut mellis modo coacta ſint: tunc cera, colophonia, maſtiche, thus, myrrha, bdellium, propolis, viſcum quernum, terebinthina in his quo ſcribuntur ordine liquentur. His fuſis igni auferatur, adde paulatim: ne efferucãt liquores, ammoniacum, opopanacem, galbanum diſſolutos aceto aut vino, colatos, coctos ad aceti aut vini conſumptionẽ, vt dictum eſt, recoque, deinde pulueres ſarcocollæ, cadmiæ lapidoſæ, æruginis, ſquãmæ æris, æris vſti, dictamni, ariſtolochiæ, dum erit percoctum, hoc eſt aquæ frigidæ portione iniectum duratur, & digitos tractatu non inquinat glutinoſo adhæſu, tũc totũ aquæ frigidæ iniiciatur: dum refrixit, exemptum manibus, oleo laurino inunctis, fac magdalias. Nicolaus Alexãdrinus lithargyro, cum oleo ad emplaſtri

* *Praſÿ viridis Nicol. Alex. cætera conſentit, niſi ponderibus omnibus variaret.*

consistentiam percocto, ceram, galbanum, terebinthinam, propolim, colophoniam seorsum & modico interuallo addit postea, æs vstum, cadmiam commiscet, probè semper feruefaciendo, deinde opopanacem, ammoniacum, bdellium, viscum, myrrham, thus, mastichen, sarcocollam, squammam æris cum pauco aceto trita in mortario, & in lactis formam deducta miscet, & coquit spathula certatim mouendo.

Emplastrum de vigo recipit olei chamæmeli, anethi, de spica, de lilio ana vncias duas, adipis porci, vitul. ana libram vnam, euphorbij drachmas quinque, thuris drachmas decem, olei laurini sescunciam, adipis viperæ vncias duas & semissem, ranas viuentes sex, lumbricorum in vino lotorum vncias tres & semissem: succi radicum ebuli & enulæ ana vncias duas, schœnuãthi, stœchadis, matricariæ ana manipulum vnum, vini odoriferi libras duas, coque omnia simul ad vini consumptionem: coletur. colato adde lithargyri auri libram vnam, terebinthinæ claræ vncias duas, cum cera alba, fiat ceratum, aut vnguentum, addendo in fine, styracis calamitæ sescunciam, & igni ablatum pistillo tribuletur, donec tepidum erit, tunc adde argenti viui saliua extincti vncias quatuor, misce diu pistillo.

Hoc emplastrum ascripturus non eram, quòd

quòd argentum habeat vinum, à cuius vsu omnium maximè abhorreo, propter noxas à prioribus designatas, à recentioribus experientia quotidiana plusquam vellent cognitas. Sed publica vtendi eius consuetudo, ne omitterem effecit. accessit ad id Petri Grusellij olim mihi in re medica condiscipuli, nunc verò medici longè præstantissimi, elogium de hoc emplastro à se non semel magnis successibus vsurpato in articulorum & reliquarum partium neruosarum doloribus etiã hæreditariis, non solis Hispanam luem concomitantibus in corporibus carnosis. Plura composita medicamenta describere, mihi visum non est, quòd etiam in his multa idem promittunt & præstant, ob idque ociosa videri possint. Integrum autem cuius docto, vel noua adiicere, vel ex his quædam expungere, aut saltem mutare, vt simplicibus constent, vel pluribus, vel paucioribus, vel non idem pollentibus. Huc pertinet quod nullo negotio quiuis potest ex Mesue & Nicolao Alexandrino potius quàm ex Salernitano quoties opus erit, alia corrogare. Nobis hoc labore suffecit experiri quid hac in re aliquando præstare poterimus. Quapropter paucis singula, tantúmque leuiter

Perſtrinximus, cùm plurima ſuperaddere nobis licuiſſet, niſi voluiſſemus prolixitate auditorem deterrere nouitium, vel obruere. Eſt autem id totum velut imago quædam rudis tantùm eorum quæ pòſt ſcribemus: ſed paulatim mihi pharmacopœi ſunt melioribus aſſuefaciẽdi, vt poſtea non fugiant maiora. Cùm non ignorem in horum fæce plurimos omnino & indoctos, & rerum omnium imperitos, & ſtolidos, dicam audacius, & maleficos, & haud dubiè veneficos, qui hunc laborem noſtrum accuſabunt tanquam parum vtilem, imò noxium, ſcio, calumniabuntur: quòd hactenus miſeris mortalibus ægris rectè eſſe conſultum per Arabicæ familiæ placita planè mentientur. Sed hi non ita multo pòſt etiam inuiti intelligent quàm fuerit in hunc diem iniqua ipſorum conditio, & volent non volent, ſub noſtra hæc præcepta cogentur, ne frugibus inuentis glandes defendere amplius illis liceat. Interea verò quia nihil ſuibus his cum amaracino vnguento eſt, muſis & purioris pharmacopœtices ſtudioſis ſcribo id quantulum quantulum eſt: quod oro manu grata accipiant, & ſecum repetant, quàm non fuerit facilè rem hactenus intentatam excitaſſe. Id

quod

quod iudicare facillimum his est, qui scripta sua aliquando publicarunt multo studio, cura, industria, vigiliis, ingenij summis viribus comparata. Qui verò nihil adhuc ediderunt, ignari nostrorum laborum, ad calumnias sunt propensissimi, sed hæc seges ingratos tulit, & feret omnibus annis. Hísque ingratis seruire nephas est, vt est apud poëtas. Boni igitur consule: & fronte non ingrata sume, lector candide, nostrum hoc tyrocinium, interea dum huius medicinæ partis specimen apparamus, longè pulcherrimum, fœcundissimum posteritatis memoria dignissimum.

FINIS.